



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

DISSERTATIO HISTORICO-JURIDICO-
POLITICA INAUGURALIS,
D E
TRIBUS POLITICORUM FUNDAMENTALIBUS, IN
OMNI REPUBLICA CAUTE VITANDIS, ERRO-
RIBUS, MACHIAVELLISMO NIMIRUM,
MONARCHOMACHISMO, AC
HIERARCHISMO.

QUAM,
FAVENTE SUPREMO NUMINE,
SUB AUSPICIIS
SERENISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS

G U I L L I E L M I V.

PRINCIPIS ARAUSIAE ET NASSAVIAE ETC. ETC. ETC.
FOEDERATI BELGII GUBERNATORIS HAEREDITARII,
ACADEMIAE GRONINGO-OMLANDICAE
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI ET CURATORIS PRIMARI, EX
AUCTORITATE
RECTORIS MAGNIFICI,
FRANCISCI LUDOVICI CREMER,

S. S. Theol. Doct. Prof. Ord. ut & Concionat. Academ.
Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
& Nobilissimae FACULTATIS JURIDICAE *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus et Privilegiis
rite ac legitime consequendis,
Publico examini subjicit

AUCTOR
JAN GERHARD WICHERS,
GRONINGANUS.

Ad diem xv. Junii MDCCCLXVIII.
H. L. Q. S.



GRONINGAE,

Apud JACOBUM BOLT, Bibliopolam.
MDCCLXVIII.

Quel barbare mortel à des ames esclaves,
À des peuples captifs dans des dures entraves,
Enseigna le premier, malgré l'ordre commun,
Que tous en général n'étoient fait que pour un?
Enorme opinion! exception cruelle
Aux points les plus précis de la loi Naturelle!
Tu renverses le monde, aneantis les Loix,
Enfantes les Tirans, et degrades les Rois.

P O P E Essai sur l'homme
Tom. II. Ep. III.

V I R O

NOBILISSIMO, SPECTATISSIMO

WICHERO WICHERS,

RERUM IMMOBILIUM ECCLESIASTICORUM PROVINCIÆ
NOSTRÆ, QUÆSTORI; PATRI OPTIMO, INDULGEN-
TISSIMO, OMNIQUE FILIALI AMORE AD ULTIMUM VI-
TÆ HALITUM DEVENERANDO, COLENDO.

VIRIS NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, GRAVISSIMIS.

LOUISIO WICHERS,

IN INCLYTA CIVITATE GRONINGANA SENATORIA DI-
GNITATE, SUMMISQUE IN REPUBLICA GESTIS MUNERI-
BUS CONSPICUO.

JOANNI WICHERS,

J. U. D. SUPRÆMÆ CURIÆ GRONINGO-OMLANDICÆ,
SENATORI GRAVISSIMO.

LAURENTIO ADRIANO TRIP,

J. U. D. AMPLISSIMÆ CIVITATIS GRONINGANÆ SENA-
TORI AMPLISSIMO.

PATRUIS, HONORE, OBSEQUIO, AC REVERENTIA
PROSEQUENDIS, OBSERVANDIS.

UT

U T E T

VIRIS NOBILISSIMIS, GENEROSISSIMIS,

EDZARDO POMPEJO SMITH,


J. U. D. SPLENDIDISSIMI HUIUS CIVITATIS JURATORUM
COLLEGII, NEC NON JUS STAPULAE ETC. MODERANTIS
MEMBRO; REI PUPILLARI, MATRIMONIALIQUE A SE-
CRETIS.

NICOLAO JOANNI SMITH.

AVUNCULIS CARISSIMIS, OMNIQUE OBSERVANTIA DI-
LIGENDIS, SUSPICIENDIS.

Hancce Dissertationem in debita
pietatis, reverentiae et honoris
symbolum offert et consecrat

AUCTOR.



DISSERTATIO HISTORICO-POLITICO-
JURIDICA INAUGURALIS,

D E

TRIBUS POLITICORUM FUNDAMENTALIBUS,
IN OMNI REPUBLICA CAUTE VITANDIS,
ERRORIBUS, MACHIAVELLISMO
NIMIRUM, MONARCHOMACHI-
SMO, AC HIERARCHISMO.

CAPUT PROOEMIALE.

§. I.

Ex perversâ imperii notione Politicorum illi, quos dete-
gendos ac confutandos mihi constitui, cum profuane
errores, distinctam illius rei rationem tradam ac fun-
damentum necesse est, et nullum cum sit sine civitate imperium,
Philosophorum more agam; et primo, civitatis nomine quid ve-
nit, inspiciam.

A

§. II.

DISSERTATIO HISTORICO - POLITICO -

§. II.

Audit itaque civitas illa hominum societas propriae suae, ad quam naturalis tendebat ratio, promovendae felicitatis gratia congregata: sive uti dicit Romanae eloquentiae parens est Multitudo juris consensu et utilitatis communione sociata. de Republ. Lib. III. apud AUGUSTIN. Lib. II. cap. 21. Civit.

§. III.

De illius origine vehementer inter se distantur Juris Naturae interpretes, quorum singulas non repetam opiniones. In hac disceptatione ad duplicem mihi videtur attendendum esse rationem, vel ut quaeratur: quomodo actu seu *facto* erexerint civitates, sive quaenam causae fuerint *impulsivae* aut *προκαταρκτικαι*, quibus homines ad ineundam impelli *potuerunt* societatem civilem? Vel ut disquiratur: quomodo *jure* erexerint civitates, sive quaenam causae fuerint *inales*, quibus homines, ad istam introducendam societatem impelli *debuerunt*? Ad *priorem* quod attinet, nihil certi hac de re statuendum esse arbitror, quoniam, civitatibus aequali fere cum mundo origine gaudentibus, nulla hac de re in Historiis extant monumenta, ideoque in meras abire conjecturas Politicorum sententias, autumo; eoque magis, quoniam non una sit introducendae civitatis ratio: ad diversa enim mortalium ingenia diversosque si attendamus mores, non incongruum foret ex diversis circumstantiis diversas ortas esse civitates statuere; nullamque sic fuisse universalem ac omnibus aequalem civitatum originem, valde est probabile. Varias autem variorum sententias de origine Civitatum recensuit Consultissimus ELIAS LUZAC in erudita Disquisitione: *Num civis innocens irae hostis, longe potentioris, jure permitti possit ut excidium totius Civitatis evitetur?* Cap. I. quas hoc loco examinare non vacat. Ad *alteram* quod attinet rationem, ut eo melius obligationibus nostris naturalibus ac juribus satisfaciamus, unicam fuisse introducendae civitatis causam, censeo, *finalem*.

Plura hac de re, pacatam satis mihi cum reliquerit provinciam Consultissimus MERCKELBACH, amicus bene de me meritis,
in

in egregia dissertatione, genuina fundamenta, quibus jura Majestatica, imprimis vero jus puniendi et aggratiandi nituntur, exhibente, non addam.

§. IV.

Hinc sponte profluit, cum nemo in statu Naturali obligationibus ac juribus naturalibus sufficienter satisfacere potuerit, ipsa introducendarum Civitatum necessitas.

In statu enim Naturali agendi normas esse leges Naturae, hasque si sequamur duces, aeternam nos consecuturos esse felicitatem; sicque Naturae statum esse perfectissimum, quo virtus imperium teneret, et incognita forent vitia, facile largior: verum enim vero cum indomitis cupiditatibus perversisque affectibus abripi sese passum fuerit humanum genus, actiones adeo ut Naturae legibus convenienter dirigere non valeret, non potuit, quin multis incommodis, innumerisque calamitatibus ansam sit daturus Naturae status: quodque optime perspexit J. BARCLAIUS in *Argen: Lib. 1. C. 25.* inquit: *Si contineri sua sponte intra fines justitiae posset humanum genus, tunc in pari omnium pietate, non supervacua modo, sed injusta essent imperia, quae cives jam sponte acquissimos ad inultam servitutem adigerent.*

Quibus accedit, quod cum quisque suarum rerum moderator esset et arbiter, ac plane ab omni alio independens, pravisque corrupti affectibus sibi invicem continuo injuriam inferrent mortales, bellum omnium contra omnes, summaque oriretur confusio. Conf. Cel. NOODT *discours du pouvoir des souverains* cum notis J. BARBEYRACII pag. 16.

* * *

Cave tamen, ideo ne credas, primigenium illud hominis statum naturalemque libertatem civili convelli societate, attentius enim ad naturalis libertatis status notionem est attendendum: naturae enim status per jura naturalia determinatur ac obligationes naturales; adeoque in statu illo naturae obtinent leges, quas quoque non respuit libertas. Est quidem illa actionum nostrarum ab imperio humano, non vero a legibus naturalibus independentia; alias enim in meram agendi degeneraret licentiam: nam ultra actiones liberas, ideoque ultra ea,

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICO-

Juri Naturae praecepta quae sunt ac prohibita, se non extendit: jam vero per statum civilem non convellitur naturalis; naturae enim leges ac jura non tolluntur, neque etiam libertas naturalis, aut potius restringitur seu limitatur; per illas nunc limitationes ipsa libertas non interit nec tollitur. V. C. si ex pacto actionum mearum independentiae pars tollitur, reliqua tamen manent salva: nec quoque societas civilis naturali est adversa, verum manet naturalis, singulorum tantum sublata independentia, cum actionum suarum moderatores constituerint summos imperantes; evidenti indicio, naturalem libertatem non tolli, sed restringi potius quoad ea, quae ad commodum publicum, seu commune civitatis bonum spectant.

V.

Cum nunc ob independentiam seu status Naturalis insufficientiam introducendae essent civitates (§. 4.): sic universis competit jus quodlibet civitatis membrum compellendi, ut non modo actiones suas, civitati contrarias, omittat, verum etiam ut actu ea committat, sine quibus finis propositus obtineri nequit, et hoc est, quod *imperium Civile* vocat summus philosophus C. WOLFF. *J. N. part. VIII. §. 32.* hinc patet, *ad civitatis indolem requiri imperium quoddam. Est enim, dicit SENECA de clem. Lib. I. c. 4. ille (scilicet imperans) vinculum, per quod respublica cohaeret: ille spiritus vitalis, quem tot millia trahunt: nihil ipsa per se futura, nisi onus et praeda, si mens illa imperii subtrahatur: quod optime quoque describit CICERO de Leg. Lib. 3. Nihil tam aptum est ad jus conditionemque naturae quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus durare potest.*

§. VI.

Imperium Civile vocatur, *jus praescribendi ea, quae ad commune civitatis bonum promovendum faciunt, quod summum audit, quando actus illius, hoc imperio gaudentis, a nemine irriti reddi possunt.* Vid. WOLFF *J. N. Part VIII. §. 45.* evidenti indicio, hoc jus originarie penes populum consistere, tanquam unam personam moralem consideratum: cujus origo unice ex illis per

per quae ipsae formantur civitates, pactis vel quasi pactis est petenda.

A natura enim omnes sumus aequales, nec uni competit jus in actionem alterius, cum nunc in civitate necessarium sit imperium, consequitur hoc pacto vel quasi pacto in unum vel plures translatum, adeoque illud proximam esse seu immediatam imperii causam Conf. III. GROTIUS *J. B. ac P. proleg.* §. 15. et GRIBNER *Jurispr. Nat. Lib. II. Cap. II. §. 2.*

§. VII.

Cum summum imperium sit, cujus exercitium non dependet ab alterius cujusdam voluntate §. 6. consequens est, ut illius potestas summa sit, nullumque superiorem praeter Deum agnoscat, nam uti cecinit *Venusinus ille olor* HORATIUS *Lib. 3. Odd. 1.*

*Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipsos imperium est Jovis.*

Et hoc natura civitatis quoque postulat: non datur enim progressus in infinitum, sed tandem ad summum gradum est perveniendum, et hoc tam in Monarchia, quam in Aristocratia, ac Democratia obtinet; semper subjecti sumus summo imperio, contradictionem enim involveret, superiorem, et alterius potestati obnoxium esse, nec necesse est, ut rationes reddat, alioquin superior non foret.

§. VIII.

Est porro imperium vel *absolutum*, vel *limitatum*, illius exercitium nullis est adstrictum legibus, nec alterius indiget consensu, hujus vero exercitium, et certis legibus est adstrictum, et consensu indiget: *absoluto* itaque qui gaudet *imperio*, jus habet imperandi prout sibi visum fuerit, et uti rerum postulant circumstantiae: nihilominus tamen cum arbitraria seu plane independente potestate non est confundendum; talis etenim potestas ipsi Naturae Juri, ipsique civitatis fini ex asse adversatur: nam homines, licet in statu naturali singuli essent actionum suarum moderatores, tamen et naturae legibus

DISSERTATIO HISTORICO- POLITICO-

bus inservire debuerunt. Jam vero cum in civitate singuli jus in actiones suas transfulerint in unam personam, non plus juris ei deferre potuerunt, quam ipsi gaudebant: ideoque cum illi non haberint jus, nisi quatenus hoc naturae lex permittebat, sic quoque non imperantes: alias enim creaturis magis adscribendum esset ac ipsi Creatori, qui semper ob rationes agit. Et hoc quoque docet Venerandus T. RUTHERFORTH *Institut: of Law*. Vol. II. chap. II. §. 4. cum inquit: *This claim therefore can extend no farther, than such individual had a power of binding himself or of alienating his liberty. Now each individual, who joyns himself to any civil society, is under a prior obligation to observe the laws of nature, and to make then the rule of his conduct towards all mankind: and as he has not the liberty of transgressing those laws, he cannot alienate a liberty, which he never had: and consequently he cannot give the society a right to require him to transgress them. Non ergo est, testante Nobilissimo R. H. SCHELIO de Jure imperii pag. 15. infinitum hominum imperium, sed jure definitum: non liberum, sed virtuti alligatum: non summum, sed subiectum rationi: cui accedit, quod civitatem introduxerunt homines, ut eo melius obligationibus satisfacere possent naturalibus, eoque melius bonum publicum ut promoveatur, imperia transfulerunt, ideoque salus populi suprema lex est, quae nunquam mutari potest. Minime igitur cum JUVENALI *Sat. VI. vs. 221.* est dicendum.*

Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

§ IX.

Limitatum quando est *imperium*, certis legibus est adstricta principis potestas, quod et illi, et populo prodest.

Principi, quoniam non tanta attentione, tantaque vigilantia tenentur illi, certas qui secundum regulas agere obligantur, quam qui in omnibus suam solummodo sequuntur opinionem: et *populo*, quoniam, licet nihil absurdi contineat imperium absolutum, non semper cadit in probos homines, nullis qui pravis reguntur affectibus,

JURIDICA INAUGURALIS.

7

bus, imperium; et quamvis sint probi summi imperantes, sunt tamen et manent homines, ac humanis obnoxii imbecillitatibus et erroribus.

Leges illae, per quas limitatur imperium, *fundamentales* audiunt, quae non solum sunt conventiones, quibus forma determinatur, sed tales quoque conventiones, quae regnandi praescribunt imperanti modum v. g. *ne novas figat leges, &c.*

§. X.

Ex summitate illa imperii fuit, illud originarie esse penes populum: §. 6. a populi itaque voluntate dependet, num imperium sibi retinere, num vero in Monarcham, vel optimates; utrum totum an divisum; num absolutum aut limitatum; num revocabiliter, num vero irrevocabiliter; utrum ad certum tempus, an ad dies vitae; five tanquam transmissibile in certos alios, five tanquam non transmissibile; num saltem quoad exercitium, vel quoad ipsam substantiam transferre velit imperium; et ex diverso illo transferendi modo diversa imperantium sunt deducenda, ac dimetienda jura.

§. XI.

Is, in quem populus summi imperii jura transfert, *civitatis rector* nuncupatur. Et delato imperio is fit summus imperans, illi vero qui transferunt subditorum nomine veniunt. Conf. Cel: KOEHLER *Specimina Jur. Gens: §. 528.* quorumque officia varia sunt pro variis rerum circumstantiis.

Summus itaque imperans, absoluta qui gaudet potestate, rationi, ac civitatis fini convenienter in imperii exercitio versari obligatur, salusque publica tanquam suprema lex ipsi est observanda: quamobrem nulla fraude nullaque perjuria ipsius est augenda potestas, nec saevitia, aut crudelitate in civium animos saeviendum, nec illorum bona sunt dilapidanda, verum in publicum vertenda commodum.

Nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est, dicit TACITUS Hist. Lib. II. Cap. 92. adeoque et legibus civilibus, etsi illis fit solutus, quantum fieri potest, est obtemperandum: *Digna vox est*

ma-

majestate regnantis inquit IMPERATOR L. 4. C. de II. LEGIBUS ALLIGATUM SE Principem profiteri. Adeo de auctoritate Juris nostra pendet auctoritas. Et revera majus imperio est, submittere legibus principatum. Et oraculo praesentis Edicti, quod nobis licere, non patimur, (aliis) indicamus: et PLINIUS Panegy. Cap. 56. Vita principis censura est, eaque perpetua: ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo. Ita quoque cecinit CLAUDIANUS de IV. Consul. Honorii §. 296. &c.

*In commune jubes, si quid, censere tenendum:
Primus jussa subi. Tunc observantior aequi
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.*

§. XII.

Quod ad religionem adinet, cum ad aeternam non vero temporalem spectat salutem, cuius civium arbitrio, quamnam vult profiteri religionem, est relinquendum: respicit enim ad aeternam singulorum salutem, ideoque singulis competit facultas suam promovendi felicitatem, quam ob causam actiones eo tendentes alienae minime sunt subjectae potestati. Sic LACTANTIUS *Lib. V. Cap. 19. n. 12. edit. Cellarii. Non est opus vi et injuria; quia religio cogi non potest: verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sic voluntas desringatur.*

Competit tamen Principi, ne sub religionis praetextu scelera perpetrentur ac conjurationes, ordinationi ecclesiasticae prospiciendi facultas, sacra reformandi, circa ritus disponendi, aliaque, unde consequens est, nullam ecclesiam in civitate conglutinari posse independentem ob omni imperio civili summo. Et denique observandum, cives ut praestentur securi, nam hoc finis civitatis requirit.

Pul-

JURIDICA INAUGURALIS.

*Pulchrum eminere est inter illustres viros;
Consulere patriae; parcere afflictis; fera
Caede abstinere; tempus atque irae dare;
Orbi quietem; seculo pacem suo.
Haec summa virtus: petitur hac coelum via.*

SENECA *Octav. vs. 463. &c.*

Et ne tyrannus evadat princeps, cum data sic potestate abuteretur, et privato magis quam publico prospiceret commodo, quod et sibi ipsi noxium foret: nam dicit SENECA in *Oedip. vs. 705. &c.*

*Qui sceptrā duro saevus imperio regit,
Timet timentes, metus in auctorem redit.*

* * *

Conferri de his merentur ILL. PUFENDORFF J. N. ac G. Lib. 7. cap. 9. et L' Archevêque PENELON dans les *avantures de Telemacque*, ubi egregia continentur praecepta.

§. XIII.

Subditorum officia, respectu imperantis, e variis tam generalibus, quam particularibus, sunt varia. In genere tamen est animadvertendum, subditos reverentiam, fiduciam, imperantibus debere ac obedientiam; hinc praesenti in reipublicae statu est adquiescendum, nullaeque contra illos factiones sunt excitandae, ac rebelliones, verum illorum praecepta sunt observanda, illique colendi sunt, ac venerandi.

Unde consequens est, sanctam esse ac inviolabilem principis potestatem, nec populi arbitrio subjectam, sic ut populus ei resistere nequeat; sed delato imperio patienter, humana licet imbecillitate perversum quid imperet, ferendum, ac bonis suis, publica inde si promoveatur salus, principi est assistendum, neque, hoc vel illud reipublicae an conveniat nec ne, obstinato et male morigerato animo est disquirendum, cum sola obsequii relicta sit subditis gloria: cae-

B

tera-

teraque sunt praestanda officia, quae nunc non memorabo. Conf. Cel. NETTELBLADT *Jurispr. Nat. Elem. P. III. §. 188.*

§. XIV.

Haecce itaque praemissi genuina Juris Publici principia, eo melius Politicorum errores ut detegam ac profligem: quorum autem tres potissimum sunt capitales, vel enim summis imperantibus, ut *Machiavellistae*, vel contra populo, ut *Monarchomachi*, vel, etiam quod ob materiae connexionem adjecti, ecclesiae, ut *Hierarchistae*, plus quam par est potestatis tribuunt.

De quibus singulis singulatim.

SECTIONIS PRIMAE

CAPUT PRIMUM.

De Machiavelli vita, ac scriptis.

§. I.

NICOLAUS MACHIAVELLUS, Florentiae natus, de cujus patre aequae ac nativitatibus die nemo nos certiores reddidit, ex patricia Barberinorum gente originem traxisse videtur, uti SCIPIO AMMIRATUS in *familis Florentinis*, et JULIUS NEGRI in *historia scriptorum Florentinorum* testantur; sane et in NAUDAEANIS psg. 126. sui generis quendam a Papa Urbano VIII. Cardinalis titulo insignitum fuisse, assentitur.

Magna nihilominus luctatum fuisse paupertate; adeo ut MARCELLO VERGILIO, cognomine ADRIANI a patre NERI dicto, scribae loco in servire coactus fuerit, fertur, viro Graecarum aequae ac Latinarum linguarum, nec non Botanices initio seculi XVI. peritissimo. Vid. FABRICII *Bibl. Graeca Vol. III. p. 97.* quibusque ab illo instructus fuit NICOLAUS Noster: verum in hisce parum sibi curae erat, *Quis non miretur*, inquit JOVIUS *Elog. doct. Virorum. Elog. 87. in*

87. *in hoc Machiavello tantum valuisse naturam, ut in nulla vel certe mediocri Latinarum litterarum cognitione, ad justam rectam scribendi facultatem pervenire potueris: cum et vernaculo sermone majorem impenderit operam MACHIAVELLUS, adeo, ut ejus dicta; instar ornate dicendi cynosurae, secundum dictionarium della Crusca fuerint habita, quod et confirmant UBERTUS FOLIETA de praestantia linguae Latinae p. 143. et ANT. VACCA cum in illius Epitaphio haec scripserit:*

Hetruscae Machiavellus bonos et gloria linguae.

§. II.

Ingenita caeterum acumine praeditum fuisse, omnes fere testantur; sane a P. JOVIO, libro modo laudato c. 87. *Ingenium habile*; a POSSEVINO, in *Judicio suo de Machiaveli Scriptis*, quod extat *Opp. Conring: T. 2. p. 984. ingenium et acumen*; a J. LIPSIO *praef. civil. Doctr. Opp. Tom. 4. Ingenium acre, subtile, igneum*; et denique a solidissimo BAYLE *Dict. Hist. Critique Tom. 3. p. 244. beaucoup d'esprit et une tres belle plume*; ei adscribitur. Vide quoque aeternum Germaniae decus, ILL. LEIBNITUM in *Otio Hanov. pag. 144. ubi ita inquit Vir Summus: Etsi haud dubie multa sint in MACHIAVELLO reprehensione digna, Virum tamen magni ingenii nolim pro stulto et inepto traduci. Suum cuique tribuere, justitiae opus est.*

Gnaviter sese historiis dedit, ac in illarum lectione testante ALBERICO GENTILI, *de Legationibus. Lib. III. Cap. 9. non grammatizavit, verum philosophatus est*: Principumque aequae ac Politicorum secreta sibi ex illis familiaria reddidit, in quibus valde cum versatus esset, Republicae Florentinae ab actis munere mactatus fuit, quamque ob causam Caesari Borgiae Valentini duci, Papae Alexandri VI. naturali filio, peracceptus, ac apud eum et Papam magno fuit habitus honore: at cum postea *Soderini* favere parti eum suspicarentur, Mediceae domus odium in se excitavit, carcerique ad-

adductus, torturae traditus, verum magna fortitudine equuleo superato, dimissus fuit, in passam ignominiam Reipublicae Florentinae Historiographi munere ei delato, annuoque stipendio designato.

Postea rursus ipsi rein esse cum ALOISIO ALEMANNO, JACOBO DIACETTINO aliisque, qui contra Cardinalem Julianum de Medicis, sub nomine Clementis VII. sedem postea tenentem Romanam, conspirabant, credebatur.

Illud enim certum est, Brutum ac Cassium, strenuos libertatis vindices, laudando, civium animos in Mediceam accendisse familiam, visum esse; quo valde illi suspectus fuit, sicque nihil ei cum committeretur, muneribus privatus fuit, et non multum post summa in paupertate diem obiit supremum Anno 1527. vel uti alii 1531. relicto filio Luca Machiavello.

De illius vita plura dicendi esset copia, verum cum et illa in CONRINGII Epistola ad G. Alvensleben, et praefatione, *Machiavelli Principi*, cum Animadversionibus ejus edito; praemissis *Opp. Vol. II. pag. 973. et seq.* nec non BAYLII. *Dict. Hist. Crit. l. cit.* et in BRUCKERI *Hist. Philos. Critic. T. IV. Part. 2 Per. 3. L. 2. C. 5. &c.*, copiose legi possit, tutius iis recensendis superfedere possum.

* * *

Parum autem pie obiisse, ac blasphemantem improbum evomuisse spiritum, refert RAYNAULDUS *de bonis ac malis libris num. 46. p. 48.* adeoque Atheismi macula conspurcatus fuit MACHIAVELLUS, verum ob rationes minus idoneas.

Ad fabulosas narratiunculas eorum, quae in extremo mortis periculo dixisset, si attendamus, valde suspectae videntur illae discrepantes sententiae: sic C. ARNDIUS *bibl. polit. herald select. p. 36.* eum sic loquentem inducit: *Malo in infernum descendere cum magnis illis ac illustribus viris (PLATONE ARI-STOTELE CET.) quam cum infimis istis (PETRO ac PAULO) et vilis conditionis hominibus in caelo degere.* HIERON. WOLFFIUS contra *in commentario super CICERONIS quaest. Tuscul.* MACHIAVELLUM, ait, *quodam loco scripisse, sibi multo optabilius esse, post mortem ad inferos et diabolos detrudi, quam in caelum ascendere: nam hic nullos reperiturum nisi mendicos et misellos quosdam, monachos, eremitas, apostolos: illic vitium se cum cardinalibus, papis, regibus, et principibus: multaque alia ejus memoriae affricant profana, quae tamen ex ejus scriptis probari nequeunt.*

Celeb: quoque CONRINGIUS in *Epistola ad Gener. Gebb. ab Alvensleben*

ben l. all. At vero, inquit, me quoque satente, illa quidem Machiavelli accusatio justa est, quod sacrorum nostrorum obtrektor ille fuerit; passim enim ille denudat hunc suum animum impium, quantumvis nonnunquam simulet aliud, aut vero coactus sanctimonia religionis nostrae, quae ipsi impietatis oculos perstringit, et dat illam in ruborem, alia docuerit.

Licet et haec summo CONRINGIO concederem, doctrinamque suam ad Atheismum spirare, tamen Atheismi convinci nequit MACHIAVELLUS. Haec opinio libro de principe est fundata, quod et agnoscit Vir Reverendus ac doctissimus H: BUURT in annotationibus suis ad Buddeum de Atheismo ac superstitione Cap. 1. p. 99. edition. 1758. quando dicit: *Machiavelli principem et disput. de Republica eo sine cum perlegerem, ut solide de ejus Atheismo judicare possem; tam multa offendi (praesertim in ejus principe) quae omnem Religionem evertunt, ut satis mirari non potuerim, hominem tam sollicito a nonnullis esse defensum.* Ast vehementer dubito, haec veritati an sint consentanea, de principe enim librum si evolvamus, nullam existentiae divinae invenimus negationem; imo licet etiam haec procederent, tamen, cum, uti in sequentibus videbimus, haec minus serio scripsisse Machiavellum Inculentissime pateat, eum Atheismi non fieri reum reor; cui accedit, quod si tantae esset impietatis, tam diu a Clericis non toleratus fuisset, nec inquisitionis poenam effugisset: hinc valde probabilis est opinio Auctoris libri illius, cui titulus: MACHIAVEL REUBLICAIN pag. 88. asserentis, Clericos, quorum falsae perstrinxisset errores, illatam sibi, quam putabant, ut vindicarent injuriam; ad ordinarium, quo adversariis confestim haereticorum notam inurunt, confugisse remedium, ideoque Machiavelli memoriae tanta affricuisse profana. Vide AMELOT DE LA HOUSSAYE de principe Machiavel. in praef. et REIMANUM *Hist. Atheismi sect. III. C. 4. §. 14.*

§. III.

Illius vita enarrata, paucis scripta sunt memoranda, quae omnes fere gentes vernaculo sermone in lucem emissa viderunt. Primo Eclogas quasdam Italico sermone *Capitoli* dictas, ac Comoedias nonnullas, quarum quaedam adhuc exstant, juxta veterum regulas scripsit, quae omnem fere meruerunt applausum; dicit enim JOVIUS: *l. c. comiter aestimemus etruscos sales, ad exemplar comoediae veteris ARISTOPHANIS in Nicia praesertim comoedia; in qua adeo jucunde vel in tristibus risum excitavit, ut illi ipsi ex persona scite expressa, in scena ducti cives, quanquam praealte commoderentur, totam iniustae notae injuriam, civili lenitate pertulerint: actamque Florentiae, ex ea miri leporis fama LEO X. pontifex, instaurato ludo, ut urbi ea voluptas communicaretur, cum toto sce-*

nae cultu, ipsisque histrionibus, Romam advoverit. Conf. MORHOFII *Polybist. Tom. I. Lib. VII. C. 1. §. 9. p. 1012.*

De arte militari septem conscripsit libros, nec non Reipublicae Florentinae, ab anno 1215. usque ad 1494. Historiam, cui juncta est Castrucci Castruccani vita, conjunctim in formam, quam *quartam* vocant, anno 1550. edita libro, cui titulus: *tutte le opere de NICOLAO MACHIAVELLO divise in V parti.*

Ast inter illa *discursus in Livium, seu disputationum de republica libri tres ad decadem Livii primam*, ac praesertim de *Principe* liber eminent: qui postremus anno 1515. uti BAYLE loco saepius citato ~~memorat, typis impressis~~, ac ~~Lamentio de Medicis~~, Papae Leonis X. fratris filio, consecratus fuit, minime indignante Leone, qui magnam de illo fiduciam nutrisse videtur, cum illi arcanam de Reipublicae Florentinae Reformatione concinnare dissertationem jufferit; Adriani VI, Clementis VII, cujus jussu Florentiae Reipublicae historiam confecerat, multorumque sequentium summorum Pontificum tempore, usque ad Clementem VIII, in vulgus edito, atque ab illis approbato.

Verum tandem Jesuita quidam POSSEVINUS, HIERON: OSORIIUS Episcopus, ac TH. BOZIUS Congregationis Oratoriae presbyter celebris tantum excitarunt motum, ut et indici librorum prohibitorum fuerint inserti anno 1592. Clemente Octavo Romanam sedem tenente.

Sicque per septendicem sanctos Patres approbata, ac per septuaginta et plurium annorum spatium omnium oculis aperta, denuo prohibita sunt MACHIAVELLI scripta.

SECTIONIS PRIMAE

CAPUT SECUNDUM

De Machiavelli doctrina, scopo, ac adversariis

§. I.

Vidimus sic quisnam fuerit MACHIAVELLUS ille, quaeque ediderit scripta: verum enim vero cum suus de Principe liber *Machiavel-*

avellismo ansam dederit, eorum, quae continet, quaedam, ad Politiam maxime spectantia, ut memorem postulat ordo.

A capite usque ad calcem ut explanarem, nec tempus nec instituti ratio permittit, eoque magis, quam summus CONRINGIUS, ac, quem primo loco nominare debuissim, SERENISSIMUS *Ami machiavelli* AUCTOR, in refutandis illis jam fudarint.

In genere animadverti licet, omnia illam Principi licere arbitratum esse, licet legibus, pactis aut moribus, imo et ipsi Religioni aut Naturae juri adverteretur, si modo propria id exigeret utilitas.

Multas edocuit tyrannicas artes, quod principatus, qui, cum occuparetur legibus suis, et libertate vigeret, penitus sit evertendus. De saevitiae fama ac existimatione non multum esse laborandum tradidit, si hac ratione populus in fideli obsequio contineatur; ac crudelitatem, quae laudabilem sibi proponit finem, non esse reprehendendam statuit; imo et ad imperium ascendere scelerato ac nefario licere consilio, necessitas si adegerit, edixit.

Porro melius esse metui, quam amari, eaque conjungi non posse, tenuit, verum qua ratione non video: minime enim sunt opposita, et quod dicit paulo inferius, principem, qui sapientia valet, eo, quod suae est, non alienae facultatis, debere niti, id potius sententiae ipsius e diametro est oppositum: ipse enim cap. 20, amorem populi optimam arcem esse, asserit.

Denique Principi sapienti talia oblivisci licere promissa, quae suis commodis contraria fore videt; imo et pejerare, fallere, & dissimulare sine ulla dubitatione licere, quae et hominis naturae & Naturali Juri adversa esse, nullus non animadvertit.

Caeterum ex scriptis manifesto liquet, omnem virtutem, omnemque religionem penitus esse eversam, ac sublatam, quae omnia luculenter cum memorariis ac refutarint adversarii, plura de illis non adferam.

§. II.

Quod ad scopum adinet, multi haecce in domus Mediceae assentationem scripssisse autumant, quamobrem adulatoris, ac Pseudopoliticorum patris nomine donatus fuit, verum enim vero,
vi-

virum, ex nobilissima patriciorum familia progenitum, summasque dignitates in republica, adeo quae de tuenda libertate sollicita erat, tenentem, in gratiam patriae suae oppressorum, et adversus quos bis conjurationis reus fuerit actus, scripsisse, non est existimandum, cum et ab illis carceri inclusus ac torturae traditus fuerit MACHIAVELLUS.

Verum quidem est, ab illis Historiographi munere munitum fuisse, at tamen hoc, magis ad leniendam ei allatam injuriam, quam ob benevolentiam, factum fuisse, ex JOVIO patet.

Cui accedit, quod tantopere Brutum ac Cassium, notissimos illos in Historia Romana libertatis vindices strenuissimos, laudavit.

Quamobrem non immerito est confendum, illum magno odio ob oppressam a Medicea domo libertatem flagravisse, ac hocce scripto, tyrannicas illius domus machinationes vivis depingendo coloribus, civium oculos aperire, illisque suadere voluisse, ut discerent ex iis, ne quando teneantur, suavi illa perdita libertate, iis parere, qui contentis legibus, sanctissimis illis civitatum vinculis, honestate, aequitate, justitia ac virtute, conculcatis, in omnia ruunt crimina, potentiae suae si expediat, fulciri que hoc pacto tyrannis possit: adeoque sane potius Satyrico illum huncce libellum perfricasse. Quis enim crederet, hominem acumine ac ingenio praeditum, in exemplar gnavi prudentisque principis ex sui aevi hominibus serio commendaturum esse Valentini duce, CAESAREM BORGIAM, nequissimum hominem, societatis humanae pestem, ac in sceleribus Neronem illum, qui sanctissimo fratris sanguine suas commaculavit manus; qui perjuria, violanda fide, laedendis aliis, ac a vita privandis totam fere peregit vitam, ac scelestissimorum hominum colluvie S. Petri patrimonium replevit, et qui tandem bonis privatus, bis in custodiam abreptus, patria exul in Hispania vitam finivit: ita ut huic quidem sit tribuendum illud SANNAZARII dictum.

*Omnia vincebas, sperabas omnia Caesar!
Omnia deficiunt, incipis esse nihil.*

§. III.

Quis enim sibi persuaderet, serio illum ad imitandum proposuisse illud CAESARIS BORGIAE factum, quo REMERUM quem-

quendam d'ORCO, quem, Flaminiae rerum cum potitus esset, provinciae illi, latrocinii ac rixis refertae, ut pacatam regiaeque potentiae morigeram redderet, summa cum potestate praefecerat, ut se purgaret, neque in odium incurreret, iudicio quodam constituto, condemnavit, ac in duas partes discindi curavit: eoque magis cum alibi eum vocat *un ribellante a Christo*, rebellem in Christum.

Quam opinionem valde quoque probabilem reddunt, *primo*, quod satyrico praeditus fuit ingenio, uti ex fabulis ipsius ac comoediis constat; *secundo* ex scriptis, cum in libro de *Principe* c. 8. §. 2. dixerit: *virtutis nomine haud quaquam esse cobonestandum, suis civibus mortem attulisse, amicorum proditorem egisse, nulla fide, nulla pietate, nulla religione fuisse:* et cap. 18. §. 1. 8. &c. de *republica* ex L. 1. C. 10. 20. 26. 50. 52. 58. 59. et L. 3. c. 6. &c. et ex *Historia Florentiae*.

Quod et CONRINGIUS adfirmat, nusquam laudatam ab ipso tyrannidem, et ex adverso esse damnatam; imo in libris de republica traditas artes evertendae tyrannidis, servandaeque libertatis. *Tertio* ob continuam conspirationis in Mediceam gentem suspicionem, quae, tyrannidi si faveret, ridicula esset; et *quarto*, quod multi sua aetate inveniebantur perverse indolis principes.

Denique et huc accedit multorum scriptorum auctoritas. Sic ALBERICUS GENTILIS L. 3. de *legat.* cap. 9. scripsit: *Nec vero in negotio isto verebor omnium praestantissimum dicere, et ad imitandum proponere Machiavellum, ejusque plane aureas in Livium Observationes;* et paulo inferius: *Machiavellus Democratiae laudator, et assertor acerrimus: natus, educatus, honoratus in eo reipublicae statu; Tyrannidis summe inimicus. Itaque Tyranno non favet, sui propositi non est, Tyrannum instruere, sed arcanis ejus palam factis ipsum miseris populi nudum ac conspicium exhibere.* &c. Eodem modo J. B. SCHUPPIUS in *diff. de opinione* judicat: MACHIAVELLUS, dum ait, *candide eloquutus est, quod multi alii politici non modo sentiunt, et firmiter credunt, sed in universa vita sua faciunt. Interim tamen miserrimus ille Machiavellus vituperatur ab omnibus.* Paulo post ita: MACHIAVELLUM *contraria via principes quosdam in Italia, quorum Deus crumena fuit, voluntas lex, ambitio dux, temeritas*

C

ars,

ars, consuetudo regula, descripsisse credo, non quales esse debent, sed quales fuerunt. Et denique WICQUEFORT dans son ambassadeur Tom. I. Liv. I. Sect. VII. de MACHIAVELLO hanc tulit sententiam: *Je ne pretens pas faire l'apologie de ce Politique Florentin: et j'avoüe, qu'il y a des passages, qui ne sont pas fort orthodoxes: mais je soustiens aussi, qu'il y en a qui peuvent souffrir une explication plus favorable, que celle, que le Pedantisme leur donne ordinairement. Il faut supposer, qu'il dit presque par tout, ce que les Princes font, et non ce qu'ils devroient faire.* aliorumque, quorum testimonia collegit J. F. CHRISTIUS, *dissertat. de N. Machiavello, adnexa.* Tandem quod et multa dantur ejus generis scripta, sic libri, cui tituli: GROBIANUS, ac NEBULO NEBULONUM perverfos laudant hominum mores, et in CAMPANELLA *de civitate solis*, ac VERULAMIUS *in nova Atlantide* minus recta ostenduntur praecepta: veniunt denique *laus asini, laus ululae, pediculi &c.* Quis unquam crederet, haec serio scripsisse scriptores. Praeter allegatos auctores, inprimis ingeniosissimus et eruditissimus BAYLIUS in *Dict. Hist. Crit.* voc. MACHIAVEL, nec non Auctor libri, qui nuper anno 1741. Ultrajecti ad Rhenum apud JO. EVELT prodiit, sub titulo: *Machiavel Republicain*, longe benignius de *Florentino* nostro judicarunt. Quibus omnibus in hac palaestra palmam praeripuisse censetur Vir Clarissimus, JO. FRID. CHRISTIUS, tribus nempe de NICOLAO MACHIAVELLO libris *Lipsiae* 1731. in forma, quam vocant, *quarta* editis, in quibus de *vita, scriptis, et secta ejus viri* prolixè agitur.

At multi licet eum defenderint, suis tamen adversariis destitutus non fuit *Machiavellus*: Interque primos merito sunt referendi Archiepiscopus quidam Compfanus, AMBROSIUS CATHARINUS POLITUS, et HIERONYMUS OSORIUS, ille in disputationibus quibusdam Machiavelli doctrinae se opposuit, hic in libro de *nobilitate Christiana* unum Machiavelli libri de principe caput adgressus est.

Verum postea laniena Parisina cristas erigente, multos in alterum extremum abeuntes, et de quibus in posterum, de Monarchomachis acturo; plura dicendi opportunior dabitur occasio, nactus est adversarios *Machiavellus*. Inprimis vero 1576. in lucem prodiit liber, cui titulus: *Discours sur les Moyens de bien gouverner et maintenir en bon*

bon paix un royaume ou autre principauté &c. quod alii F. HOT-
TOMANNO, alii vero, et quidem plurimi INNOCENTIO GEN-
TILLETTO ob persecutionem e Gallia exuli, ac Genevae Pensionarii
munere mactato, adscribunt hicce liber in Germanicam a G. NIGRINO
Ecclesiaste Giessensi translatus linguam, sub titulo Antimachiavelli,
lucem vidit 1623. quo nomine dein celebris fuit. Vide BAILLET *des*
Satyres personnelles qui portent le titre d'Ansi, MEISTER *bibl. J. N.*
ac G. P. 3. p. 54. POSSEVINUS denique in *judicio suo de quatuor*
scriptoribus, contra Machiavellum quoque calammum strinxit, ast
illum ne librum quidem de principe legisse testatur CONRINGIUS in
saepius laud. praefat. Caeterum TH. BOZIUS et P. DE RIBADE-
NEIRA contra ipsum quoque aliquid in lucem emiserunt, quos
omnes refutavit MACHIAVEL REPUBLICAIN Cap. 8--12.
Legendus quoque WILLIAM NICHOLS in libro cui titulus: *the*
religion of a prince in opposition to the irreligious principals of
Machiavel, Hobbes &c.

Denique inter alios scriptores apud MEISTERUM *l. cit. p. 57. &*
Jegq. GIBBERTUM VOET. T. 1. diff. select. p. 216. ac Obs. Hall
T. 6. Obs. 1. memoratos, tanquam sol inter caelestia corpora emi-
nuit, regium illud opus, ANTIMACHIAVELLI nomine celebratis-
simum, quod totius eruditi orbis meruit applausum; hoc immortale
opus hic recensere, ac quantum in refutatione effecerit, docere, instituti
ratio non permittit. H. L. VON HESS *Historische und Politische*
anmerkungen über den Antimachiavel hac de re conferri potest.
Hoc tamen cum BRUCKERO *l. cit. p. 793* contendo, adeo
luculenter Augustissimum auctorem in eo argumento versari, ut
recte PLATO pronunciasse dicendus sit, *beatam tunc fore rem-*
publicam, si aut philosophi imperent, aut reges philosophentur.
Inter multa verò egregia, quae in hoc aureo Augustissimi scriptoris
Antimachiavelli libro passim occurrunt, loca, iudice CI. HOL-
MANNO in *Jurisprud. Nat. part. II. Sect. IV. §. 351. Schol.*
id omni inprimis elogio et applausu dignum est, quod in eo legi-
tur: *Heureux seroit celui, qui pourroit détruire entièrement le*
Machiavellisme dans le Monde! J'en ai fait voir l'inconsequen-
ce: c'est à ceux, qui gouvernent la terre, à la convaincre par
leurs exemples.

SECTIONIS PRIMAE

CAPUT TERTIUM

De Machiavellismi Historia.

§. I.

Enarratis jam *Machiavelli* vita, ejusque doctrinae factis, paucis nunc quid MACHIAVELLISMI nomine venit, quique illius aetate fuerunt, inquiram, quo facto, illorum doctrinam enucleabo ac refutabo.

Ad primum quod adtinet, minime cum G. HORNIO *Hist. philos. Lib. 6. c. 12. p. 332.* Machiavellistarum nomine illos vapulandos esse censeo, qui statuunt *philosophiam theoreticam homines ineptos reddere ad prudentiam politicam, trahentes ad se illud Neoptolemi apud Ciceronem: PHILOSOPHANDUM, SED PAUCIS.*

§. II.

Magis vero sapiunt illi, *Machiavellismum* qui nuncupant, privata principis utilitas publica quando praeferatur saluti, et, omni posthabita justitiae, virtutis, ac pietatis consideratione, principi quodlibet licere putetur: sive qui, cum Cel. NETTELBLADT, *System: Jurispr. Nat. Part. 3. §. 200.* esse doctrinam eorum, qui potestatem civilem superioris limitum naturalium esse expertem, sicque superiori in subditum licere, quod lubet, defendunt.

* * *

Indaganda hic venit quaestio illa, num *Machiavellismus* locum habuerit ante *Machiavellum*, qua in quaestione adfirmantium sententiae calculum adjicio. Veteres etenim si pervolvamus historias, hujus doctrinae vestigia passim profant, et locum habuit simul ac tyranni existerunt: quos inter vulgo primus refertur *Nimrodus*, in sacris factis cognitus paginis.

Ta-

Talem quoque fuisse Lacedaemoniorum belli ducem *Lysandrum*, principatum Graeciae qui machinabatur, ex PLUTARCHO constat ac NEPOTE, ejus vitae scriptoribus: sic PLATONIS aetate jam innotuit ista *Machiavelistica*, quam vocamus, regnandi libido, cum is *primo de republica* Thrasymachum Chalcedonium loquentem induxerit: *summum civitatis bonum, imperantis esse utilitatem; semper regnanti injustitiam esse utilem; ab eodem esse veram in republica scientiam, cum justitia simplicitas sit mera ac soliditas*; nec ARISTOTELIS tempore incognita fuit perversa illa doctrina, uti patet ex *Libro V. Politicorum Cap. 11. pag. 68. et L. VII. Cap. 2. pag. 674. et 675.* edit. CONRING: ubi artes illorum deteguntur.

Ita quoque ISOCRATES in *Orat. ad Philippum* de Persis bello inferendo dixit, (verba semel id est latine tantum proferam): *Vides civitates neque inimicitarum, neque jurisjurandi, neque ullius alterius rationem ducere, nisi quid sibi profuturum putent; idque solum amplecti, in eoque adipiscendo, et conservando nihil non facere.* Et apud TACITUM. *Annal. Lib. 15. Cap. 1.* huc spectant *Tiridatis* verba: *Non ignavia magna imperia contineri, virorum armorumque faciendum certamen: in summa fortuna aequius, quod validius.* Hinc apud SENECAM *de benef. Lib. 7. Cap. 27.* audit: *Omissio pudoris rectique respectu, vires in consilio sunt:* et apud LUCANUM *pharsal. Lib. 8. vs. 491. &c.*

*Libertas scelerum est quae regna incisa tuetur
Sublatusque modus gladiis*

Artem hanc regnandi *Machiavelisticam* exercuerunt quoque Romani. Unde MINUCIUS in *Otiatio* scripsit: *Quicquid Romani tenent, colunt, possident, audaciae praeda est.* et apud SALLUSTIUM *de bello Jugurth. C. 81.* dixit JUGURTHA, *Romanos injustos, profunda avaritia, communes omnium hostes esse: eandem illos cum Boccho causam belli habere, quam secum et cum aliis gentibus, libidinem imperitandi, quia omnia regna adversa sunt &c.*

Quod et confirmant Patricii, qui hisce *Pseudo-Politicorum* principis quoque inquinati fuerunt, cum sub juris ac acquitatis praetextu callide jugum plebeis imponerent. Conf. VERTOT *dans les revolutions de la republicque Romaine.*

Et quid nunc de *Imperatoribus* dicam? De Julio Caesare refert SUETONIUS in *Vit. Jul. Cap. XXX.*, praetextum quidem illi civilium armorum fuisse metuendam Pompeji potentiam, ut scilicet populi libertatem vindicare videretur; causas autem longe alias callide huic Caesari fuisse, ut nimirum, quum omnia in Republica obstinatius agi videret, inde rapiendae dominationis occasionem nancisceretur. Caesar enim a prima jam aetate semper in ore habuit illos EURIPIDIS versus.

*Ἐπὶ περ γὰρ ἀδικεῖν καὶ, Τυραννίδος περὶ
Κάλλιστον ἀδικημα. τὰλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.*

Quos sic, teste *Suetonio*, ipse convertit:

*Si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.*

Quis igitur dubitare poterit, Caesarem quoque ad istam *Machiavellistarum*, quos hodiernum ita vocamus, classem esse rejiciendum? Nonne praeterea Tiberius, Nero, Caligula, Caracalla, alique, tales fuerunt principes, quales describit *Machiavellus*, quosque alios, quam principes ex *Machiavelli* schola prodeuntes designat TACITUS, cum dicit *Annal. Lib. 15. C. 1. sua retinere, privatae domus, de alienis certare regiam laudem esse?* Et inde eleganter canit LUCA-NUS *phars. Lib. 8. vs. 484.*

*Jus et fas multos faciunt, Ptolomae, nocentes.
Dat poenas laudata fides, cum sustinet, inquit,
Quos fortuna premit. Fas accedo, Deusque,
Et cole felices, miseros fuge. Sidera terra
Ut distant, et flamma mari, sic utile recto.
Sceptrorum vis tota perit, si pendere iusta
Incipit; evertitque arces respectas honesti.*

Innumera adhuc proferre potuissem hujus doctrinae testimonia, verum haec dicta sufficiunt.

§. III.

Damnatis, uti antea vidimus, a Curia Romana Machiavelli libris, profundis primo in tenebris jacuit ejus doctrina: ast anno 1572. sancti Bartholomaei die, ope ac consilio reginae matris Catharinae de Medicis, Lutetiae Parisiorum multis trucidatis Protestantium milibus, hoc Machiavelli doctrinae adscriptum fuit, ex qua derestandam illam necem Catharinam didicisse credebatur, quoniam illa, Florentiae nata, civis sui dogmatibus imbuta censebatur. Quod quum uti in sequentibus videbimus Monarchomachorum sectae ansam prae-buit, sic quoque rursus Machiavellismus erigebat caput, et ab illo temporis tractu perplurima fuerunt Machiavelli dogmata, alii plus, alii minus, qui defenderunt, et totum scire terrarum per orbem sparserunt.

§. IV.

Haec etiam dogmata in Anglia Jacobo I. regnante *obedientiae passivae* nomine fuerunt sparsa, quae tandem in nervum eru-

perunt, imperii summa ad filium Carolum I. cum fuerit devoluta: ille populari abhorrens statu omnem ad illum comprimendum impendit operam, infelici tamen eo successu, capite ut plecteretur, liberi que ejus in exilium ejicerentur, valde turbato Angline statu: quod uti plenius in dissertatione mea, *de causis progressum Jurispr. Nat. impediens* Praeside Cel. VAN DER MARCK, nuper defensa, disserui, *Hobbesium*, a regis parte cum staret, coëgit Lutetiam Parisiorum secedere: hinc in libris suis imperantium nimis extollit potestatem, pluraque intermiscuit *Machiavellistica* principia; non tamen eo processit, ut tam portentosa, quam Machiavelli princeps, foveat dogmata; et hinc in duas quoque abierunt partes Politici, aliis regis, uti SALMASIUS, aliis populi, uti MILTON, jura evehenti- bus; de quibus eruditi, SALMASIUM rem optimam pessime, MILTONEM rem pessimam optime defendisse, judicium tulerunt.

Postea tamen Carolo II. in regnum evocato, plurimi placendi studio seducti, ulterius Anglicani quam permittebat imperii status, re- giorum jurium protulerunt fines, legibusque fundamentalibus, qui- bus admodum coarctata est principis potestas, plane conculcatis.

SECTIONIS PRIMAE

CAPUT QUARTUM

De Machiavellismo, illiusque refutatione.

§. I.

Luculentissime ex praecedentibus patet, illos, *Machiavelli* ca- stra qui sequuntur, nullam, nisi in fortiori potentia, et ma- jori vi, securitatem, nullamque, nisi in viliori metu, in servili obedientia, in stupidiori ingenio, ac pauperiori statu esse tranquillita- tem, adfirmare; cum satis videatur criminis, magno excellere inge- nio, ac magnas habere divitias, nam, uti DIO CASSIUS *Hist. Rom.* Lib. LIX. pag. 654. *Edit. Leunclav. de Caligula dicit omnibus his commune crimen divitiarum: sicque intolerabile mortalibus impo- nunt.*

nunt jugum, ac ex ingenuis hominibus vilia parant mancipia. Quam ad stabiliendam sententiam, *primo*, nullum limitatum esse imperium, omneque absolutum, contendunt; quod falsissimum esse, omnibus, Jus Publicum tantummodo a limine qui salutaverunt, in oculos incurrit: vidimus in capite Prooemiali §. 12. omne imperium sua natura esse penes populum, et ab illius dependere arbitrio, regnum quonam transferre velit modo, adeoque et limitibus circumscriptam transferre imperii summitatem potuisse, liquet, et factum fuisse, experientia confirmat.

§. II.

Ast regerunt adversarii, nullum esse pactum summum imperantem inter ac populum, singulosque singulis solummodo ad obediendum imperanti mutuo sese obstrinxisse: uti docet HOBBS *de cive C. 7. §. 11. 12. et 14.*

Tale enim pactum iniri posse, nullam implicat contradictionem, et ad imperii finem si attendamus, si non expressum, saltem quasi pactum imperantem inter ac populum adesse, constat: populi enim singuli propriam ut conservarent salutem in civitatem coierunt, ac imperium publicum introduxerunt; quo facto salutem publicam supremam legem esse apparet, hanc consequendi media principi cum demandarint, eum quoque ad finem propositum illa esse adhibiturum, semper est praesumendum. Conf. III. BOEHMER *Introd. in jus Publicum Part. Spec. Lib. I. C. 2. §. 21. l. d.*

§. III.

Secundo provocant ad JUS illud REGIUM Hebraeorum, priori *Samuelis* Libro *Cap. VIII. vs. IX.* memoratum.

Ad textum quod adinet, vox Hebraica *צדק*, non tantum *jus*, verum etiam i *Sam. 2. vs. 13. Cap. 27: 11. consuetudinem* significat *perversam*: Sic quoque Septuaginta interpretes per το δικαιωμα verterunt. Jam vero non omne δικαιωμα est δικαιο, nec omne, quod jure externo alicui competit, justum est jure naturae interno. Alii vero per *modum* verterunt, Conf. Ampl. HUBER *de ju-*

jure civitatis sect. 1. C. 7. §§. 20. et 21; ast haec de textu sufficiunt. Vide WANDALINUM *de jure regio L. 1. Cap. II. et G. VOETIUM disp. Select. part. IV. pag. 214. et seqq.* De causis, quae Israelitas ad jus illud petendum impulerunt, nunc non agam: legi potest hac de re J. SPENCERI *dissert. de theocrat. Jud. sect. III. de II. Hebraeorum ritualibus L. I. Cap. IV. p. 241.* verum ad jus illud quod adinet, variae extant de hoc Eruditorum expositiones, quae commode ad tres potissimum classes reduci possunt.

§. IV.

Primo nonnulli putant, non agi hoc loco de *jure regio*, sed tantummodo de *facto* regis, seu de vitiosa ac perversa quorundam regum *consuetudine*.

Secundo alii existimant, non hic nudum explicari regis *factum*, sed tale, quod effectum juris externi habet ex praecedente populi summi imperii illimitati translatione: adeoque, perfectam populi ad obediendum producere obligationem, licet ejusmodi imperii exercitium internis honestatis principiis parum conveniat, censent.

Tertio alii opinantur, *verum jus* regis hic describi, quo imperans salva uti posset conscientia. Vide TESMARUM *ad Grotium de J. B. ac P. Lib. 1. C. 4. §. 3.*

Ad *primam* quod adinet ac *secundam* opinionem, facile hae conciliari possunt, cum primo loco de *jure interno*, postremo de *externo jure* verba fiant: externum enim jus, si juri interno, seu exercitium actionis, si legi Naturae repugnet, quidem in meram definit potentiam, et honestatis adversatur principiis, sed alterum injuria non afficit, verum respectu obligationis alterius inde nascentis perfectae, quodammodo juris speciem prae se fert. v. g. re, quae in meo est dominio, quoad jus alterius externum abuti possum, nulla inde laesio alterius nullaque injuria profluunt, nam de re mea disponere possum pro lubitu; verum hoc, licet juri non repugnet externo, cum honestatis adversetur regulis, est illicitum: sic etiam rex, in quem absolutum et herile imperium, quale erat regum Orientalium, translatum est a populo, quamvis imperio suo abutatur, et

D

jure

jure interno peccet, jure tamen externo patientiam a populi persona, ac obedientiam exigere valet.

Tertia vero est falsissima, illa enim, ad quae regium se extenderet jus, in se ac sua natura sunt mala, quae Deus salvis suis perfectionibus, nec vult, nec potest velle; quis etenim agros populo auferre optimos, eosque aulicis dare jus vocaret? Porro quoque Deuteron. Cap. 17. vs. 14. aliud jus regium describitur, cujus Samuel minime oblitus esse, nec illud plane abrogasse censendus est, quod in sua non erat potestate: unde manifestissime patet, illum *verum jus* regium hic non indigitasse: prolixè quoque hac de re disseruit Ill. ZIEGLERUS *de jur. Maj. Lib. I. Cap. IV. §. 11-12.* quem vide sis. Sic quoque maledixit Jehovah Achabo, vineam Nabothi, eo extincto, sibi quod adquisiverit, evidenti indicio, tale jus regibus a Deo non fuisse concessum, nec hoc etiam nomine juris regii fecit Achabus rex, nam et pretium vel aliam vineam promiserat. *1 Regum. Cap. 21.*

Unde concludendum Samuelem potius describere, rex quid facturus sit, quam quod facere debeat; aequè ac si diceret, quid vultis? Quid intenditis? o Israelitae! an desideratis regem, vicinae quo gaudent gentes, qui hoc sibi jus esse putat, *filiis vestros ut accipiat sibi in carris suis ut disponat, filias vestras in unguentarias, in coquas, et in pistrices, ac agros vestros, vineas vestras, et oliveta capiat vestra, et dabit servis suis: imo servi ei eritis.* Conqueremini tunc quidem, et clamabitis de illo ad Jehovah, verum non audiet vos Deus. vs. 11--18.

§. V.

Tertio, Deum summæ potestatis immediate esse causam asserunt; quæ sententia ab antiquissimis usque temporibus inter Politicorum arcana fuit, eo majorem principi ut obedientiam præstaret populus, in quo inter articulos fidei relata fuit; adeo ut hæc ante PUFENDORFIUM omnium constans fuerit opinio. Plura de hujus historia non memorabo, cum satis amplam nobis tradiderit Conf. MERKELBACH. in dissert. de *Genuinis Jurium Majest. fundamentis.*

Ad ipsam quod respicit sententiam, alii inter ipsam majestatem distinguunt ac majestatis collationem, Deumque *immediate* majestatis

tis

is esse causam, *mediate* vero interveniente consensu populi illam in hunc vel illum conferri, volunt; quam tueretur inter alios Summus CONRING *de Majest. civili* §. 14.

Alii vero sine ullis intervenientibus pactis Deum immediate esse causam contendunt, adeo ut populus solummodo personam ostendat, quam Deus elegit, quod praesertim tenet F. HORNIUS *de civitate Lib. 2. C. 1.* Add: ZIEGLER *de jur. Majest. L. 1. C. 1. §. 46.* ac MASIUS *in tract. de interesse principum circ. Relig. Euangel.*

Ad quod probandum praesertim provocant ad Rom. 13. vs. 1. et 2. ubi dicitur *non esse potestatem nisi a Deo, ubi vero haec est, ordinata est a Deo.* Ast ex illius textus verbis nihil concludi potest: loquitur enim de omni potestate, adeoque tam de inferiori quam superiori; accedit, quod non exprimat, Deum immediate esse causam, sed tantummodo esse a Deo potestatem, uti optime animadvertit C. THOMASIVS *Jurispr. div. Lib. III. C. 6. §. 78. et seqq.*

Porro *ordinationem esse divinam Job. 19: vs. 11.* quod facile largior, quatenus scilicet legi naturae ac Dei voluntati conveniat, et, cum ad pacem ac securitatem maxime conducant humana imperia, tanquam saluberrimum generis humani institutum ab ipso Deo sit approbata summa potestas. Vide Ill: GROTIUM de J. B. ac P. L. 1. C. 4. §. 7. n. 3.

Huc quoque spectat dictum CICERONIS *in somn. Scipionis Caput 3. Nihil est illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris sit, accepius, quam consilia, coetusque hominum, et jure sociati, quae civitates adpellantur.* Sic licet Deus providentia sua ad electionem vel constitutionem alicujus concurrat, non tamen immediate a Deo originem traxit summa potestas, ast requirit quoque factum aliquod humanum interveniens, quo summa auctoritatem nanciscatur; adeoque ex libere declarata populi voluntate juribusque translatis, et sic per consequens ex pactis originem trahit, eoque sensu 1 *Petr. II. vs. 13.* adpellatur *ordinatio humana*; non enim est jus contractum imperii jus, sed est acquisitum ex delatione imperii: sic matrimonium quidem institutum est a Deo, attamen conjuges contrahentes immediata sunt causa. Verum sive sit *mediate*, sive *immediate*, nihil imperantium auctoritati derogatur, cum semper illis sit parendum, et testante THOMASIO *in fund. J. N. ad G. p. 195.*

§. 9. quaestio haec mere theoretica sit, ac logomachica. Vide Cel. BUDDEUM In *Comm. de concordia vel. Cbrist. stat. Civilis C. V. §. 7.* Caeterum legi merentur PUFENDORFF. In *J. N. ac G. Lib. 7. C. 3. §§. 2. 3. et 4.* qui ad objectiones plures respondit, et C. THOMASIVS *l. c. §. 66-88.* Conf. quoque, qui in contrariam abiit sententiam Cel. JÄGER *Obs. ad GROTIUM Obs. 6.*

Ex dictis concludunt Machiavellistae illi, summi imperantem personam sanctam esse ac inviolabilem, ejusque voluntatem pro status civilis gubernandi ratione esse habendam; adeoque omnino illi licere, nec unquam resisti posse contendunt, quam intricatissimam quaestionem paucis enucleabo, quodque eo melius ut procedat, ex primis juris publici doctrinae principiis paullo altius examinandum erit.

§. VI.

Vidimus (cap. Proem.) imperii notionem, idque vel esse absolutum vel limitatum, utrumque tamen in se ac natura sua irresistibile, quatenus scilicet est imperium, ita ut inviolabilis sit ac sancta principis persona, nec ei resistere liceat: quod in genere cum sit affirmandum, tota eo redit quaestio, quibusnam rebus princeps, ac quibusnam subditi sint, nam haec sunt relata ac correlata, quae mutuo se ponunt ac tollunt; itaque si dentur res, in quibus nullus superior, in illis quoque non sunt subditi, ac omnes inter se sunt aequales; unde evidenter constat, principis potestatem ex translatis juribus unice esse dimetiendam, quae translatio vel fit per expressum pactum vel per tacitum.

De exercendo imperio pactum si adest expressum, leges quoque reipublicae adsunt fundamentales, imperii quae determinant exercendi media: Quodsi autem princeps sua abutatur potestate, eaque ad civitatem quae pertinent, negligit, ac leges evertit fundamentales, hoc casu resistere ei an liceat si quaeratur, distinguendum esse arbitror, an talis abusus totum reipublicae statum evertat ac omnem tollat libertatem, adeo ut in meram abeat tyrannidem, an vero sit medio-cris, magisque ex humana imbecillitate profluens abusus, quam ex proposito.

In

In priori casu ei resistere licet non qua principi, sed qua aequali, nec qua subdito, sed qua aequali contra aequalem.

In posteriori casu, licet stricto jure, si scilicet jus internum spectemus, aliud quid dicendum sit, nam imperium ejus oritur ex pacto, cessante ergo pacto cessat imperium, et cessante imperio cessat principis seu superioris persona moralis, patienter ferendum magis, quam ei resistendum esse autumo: homines enim esse non desinunt Principes, adeoque et virium humanarum impotentiae aliquid concedendum: dicit enim TACITUS *Hist. Lib. 4. Cap. 74. Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, et caetera naturae mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines: sed neque haec continua et meliorum interventu pensantur. Vide Parrhasiana Q. VI. pag. 254. &c.*

Expressum nullum si adest pactum de exercendo imperio, tunc res unice ex tacito vel quasi pacto seu civitatis sine est dijudicanda. Civitatis itaque finis est, obligationibus nostris naturalibus ac juribus ut satisficiamus, et hanc ob rationem e statu sumus egressi naturali; praesumendum ergo non est, singulos, in societatem civilem transeuntes, coeque in unum sic transfuisse imperium, quemlibet vi ac injuria ut afficere posset, cum ob illam repellendam in civitatem coierint.

Quid sane ridiculum magis excogitari potuisset, quam velle statuere, civitates esse initas, multorum quidem ut resistatur injuriis, feratur autem omne illud, quod ab uno contra manifesta indigeretur jura, uti recte observat TESMARUS *ad Grotium §. 9. n. 2.* Conf. PUFENDORFF. *J. N. ac G. L. 7. c. 8. §. 7.* ac reduceremur sic in statum ipso statu naturali deteriorem, quod rationi esset admodum contrarium. Vide GROTIUM *de J. B. ac P. L. 1. C. 4. §. 7.*

§ VII.

Porro quoque non est superior quis, nisi quatenus singuli jura ac illorum exercitium transfulerunt: in statu enim civili incedo, non omnem amiserunt libertatem, verum illa tantummodo est restricta quatenus non tendit ad finem obtinendum (§. 4. in notis Cap. Proem.)

imperium quoque summum nihil aliud est quam plena potestas, omnia ad salutem publicam dirigendi, non vero comprehendit in se omnia everrendi ac pro arbitrio corrumpendi facultatem.

Neque etiam, quodcumque non erat in potestate singulorum ac arbitrio, in universos seu principem transferre poterunt, ideoque quoad haec jura non est princeps seu superior, sed quilibet adhuc vivit in statu naturali, in quo omnes sumus aequales. Jam igitur si summus imperans quoad haec jura, quae nemo in eum transferre poterat, suo abutatur imperio, tum non amplius imperium erit civile ac justum, sed immanis vis et crudelis saevitia, ideoque non erit in hisce rebus princeps legitimus, sed inceptor, ac reipublicae hostis, illique resistere licet, non qua principi, sed qua reipublicae ac totius generis humani hosti, aequae ac cuivis licet in statu naturali se defendere contra laedentes. Ex dictis igitur, et cum ad finem civitatis nihil faciant credenda, ac credendorum nulla sit reipublica, imperantes debere agenda tantum praescribere non credenda, liquet; adeoque illis nullum jus est in subditorum conscientias, nec illis in rebus fidei est obtemperandum: nam cum nonentis nullae sint affectiones, et nullus sit in religione superior praeter Deum, illis ut obediamus necesse non est; sunt ergo illi tanquam privati spectandi, quoniam non sunt superiores, nisi quatenus imperii gaudent exercitio: jam nullum est in religione imperium, nullusque coactus; sumus ergo omnes aequales. Pluribus hoc demonstraverunt Summus G. NOODT in eximia dissertatione *de religione ab imperio jure gentium libera*, ac Venerandus WERENFELS in dissert. de *Jure Magistratus in conscientias* Opusc. Tom. I. pag. 35.

§ VIII.

Verum regeret quis, judicatu esse difficile, an pacta violaverit, seu potestate sua abusus fuerit Princeps, quoniam populo nullum hac de re competit judicium, quod facile largior: nec enim populo nec principi competit haec facultas; nec illi, lis si orietur in hac causa, judices evadere possunt.

Principi competere nequit leges interpretandi fundamentales potestas, quoniam ad illarum legum observantiam tenetur, et non ali-

aliter superior est, nisi quatenus iisdem legibus fundamentalibus imperium acquisiverit. Supponamus enim principi talem competere facultatem, illas pro arbitrio interpretandi, tum etiam contra leges fundamentales facere possit quod veller, nullaque sic esset legum fundamentalium vis ac efficacia, quod absurdissimum foret.

Nec populo illa competit facultas, cum populus aequae ac princeps legibus istis adstringatur, necesse ergo est amica compositione vel transactione, vel per arbitros lis finiatur, et sic potius quid concedendum, quam ei resistendum esse reor, excepto casu, quo clarum adeo ac manifestum est, ut nullo careat dubio, tunc omnino ei resistere licet: nam uti dicit Ill. H. DE COCCEJI In *Grotio Illustr.* ad Lib. I. Cap. IV. §. 2. *Si vero certa ac indubia sit actus injuria, vel reipublicae noxia, atque adeo cesset judicium, Magistratus, quatenus notorie, ut loquuntur, aequi seu boni publici limites perrumpit, vel excedit, non ut Magistratus agit, sed ut privatus, atque ideo tum hactenus privatorum jure utitur.*

SECTIONIS SECUNDAE

CAPUT PRIMUM.

De Monarchomachorum Sectae Historia.

§. I.

Absolutis Machiavellistarum historia ac dogmatibus, de *Monarchomachorum secta* paucis acturus sum: ordini tamen ut inserviam, illius sectae historiam, priusquam ad illorum profliganda dogmata, me accingam, explanare lubet.

§. II.

Ab antiquissimis usque temporibus tales fuisse Monarchomachos, testis est locupletissima Graecorum respublica, verum prima hujus sectae tempore *Ludovici Bavari* seculo XIV. deprehensa sunt vestigia, cum MARSILIUS de MENANDRINUS, Patavini cognomine

mine salutatus, universitatis Viennensis rector, librum suum, in quo non pauca teste J. THOMASIO in *Differt. de statu Nat. et leg.* §. 55. ex *Aristotele* inveniuntur, *defensoris pacis* titulo ornatum, ediderit.

Postea seculo ineunte XVI. tempore Papae *Leonis X.* classicum cecinit Patricius quidam MARIUS SALAMONIUS, in libris *de principatu*, pro ratione aevi eleganter conscriptis, quemque virum juris plane ac humanitatis doctissimum vocat TIRAQUELLUS *ad l. 8. C. de rev. donat.* Denique tempore belli Smalcaldici, anno 1547. a nonnullis quoque severioribus Theologis hujus Sectae sparsa sunt semina: verum in certum dogmatis nervum erupit post lanienam Parisiensem anno 1572. et in Germania post obsidionem Civitatis Magdeburgensis anno 1631.

§. III.

Etenim Anno 1572. regnante *Carolo IX.* Galliae rege, celebratis *Henrici Navarrae* regis, postea IV. cognomine *Magni* Gallorum regis condonati, nuptiis, quibus plus quam triginta *Hugenotorum* millia ope ac consilio reginae matris *Catharinae de Medicis* Sancti Bartholomaei die sunt trucidata; de quo die GABRIEL NAUDAEUS, Romano-Catholicorum religioni licet addictus, *dans ses considerations politiques sur les coups d'Etat cap. 3.* inquit: *se libenter velle, ut sanctus ille Bartholomæus aequè a Catholicis ac Protestantibus in perpetuum condemnaretur, secundum illos THUANI* versus.

*Excidat illa dies aëvo, neu postera credant
Secula, nos certe taccamus et obruta multa
Nocte, regi propriae patiamur crimina gentis*

Qua tyrannidis, crudelitatis, ac saevitiae specie exacerbati multi et quidem amplissimarum familiarum Galli, et, Pseudopolitici Florentini artibus addictam *Catharinam de Medicis*, quae tunc temporis regni clavum tenebat, et sibi quid vis licere, solamque subditis parendi gloriam esse relictam, putabat, cum crederent, ex desperatione ac ingenti animi moerore ob perpeffa,
et

et adhuc imminencia mala pronam ad alterum Politicorum extremum, Monarchomachismum, straverunt viam. Sicque evitata Machiavellistarum Scylla in Monarchomachorum inciderunt Charybdim.

§. IV.

Inde varia enata sunt scripta, hancce propugnantia sectam, primo Anno 1573 prodiit F. HOTOMANNI *Franco-Gallia*, dein anno 1576 liber *de Jure seu officio Magistratum*, Magdeburgensibus qui adscribitur a GULARDO in *collectaneis rerum memorabilium sub Carolo IX Galliae rege*. Vide THUANUM *Historiarum Lib. 57. f. 50*. Verum agmen inter illos duxit STEPHANUS JUNIUS BRUTUS in *Vindiciis contra tyrannos anno 1575 editis*. Nonnulli *Theodorum Bezam* ob editionem Ægidii Valckenarii hunc auctorem professam scripsisse credunt: ast *Bezam* non fuisse hujus libri auctorem omnes fere sentiunt, quod peculiari disquisitione *de Auctore vindiciarum contra tyrannos, quae sub nomine Junii Brutii Celsae, aliquoties typis editae sunt*, ostendit Cel. G. VOETIUS, attamen sectae Monarchomachorum fuisse addictum, censetur in *Biblioth. philos. Struv. Tom. II. C. 2. §. 28. ad lit. f.* GROTIUS vero in *Append. epistol. ad fratrem pag. 641*. alique, *Plessiacum Mor-naeum* auctorem fuisse perhibent. Plurimi tamen, et haec mihi verior videtur sententia, *Huberto Langueto* tribuunt, uti pluribus ostendit PHILIBERTUS DE LA MARRE in vita *Langueti*, quam hoc seculo edi curavit J. P. DE LUDEWIG. Conferatur P. BAYLII peculiaris hac de re dissertatio *Dictionario suo Hist. Crit.* adnexa. Liber hicce quatuor absolvitur quaestionibus, multaque continet egregia argumenta, nihilominus tamen non raro abludivit a vero.

Radices quoque egit in *Anglia*, uti patet ex G. BUCHANANI libro *de jure regni apud Scotos* Anno 1579 edito: huc quoque pertinet PARÆI *Commentarius in epistola Pauli ad Romanos*, testante HERTIO in *dissert. an summa rerum sit penes populum §. 2.* quem, publica universitatis Oxoniae censura condemnatum, carnificis manu comburendum curavit *Jacobus I.* Angliae Rex: ast postea filio ejus *Carolo I.* gravissimis intestinis motibus valde turbato Angliae statu, ac incitato per *Cromwellum* populo, palam decollato Rege, haec

E

do-

doctrina caput erexit, quum MILTONI *defensio populi Anglicani*, ac SALMASII *Defensio regia*, aliaque hac de re scripta publici juris sint facta.

Denique et in patria nostra multi hac macula notantur, ac illius criminis rei accusantur, praeprimis *Bilanz Politica*, idiomate Belgico conscripta, ac Generosiss. RAB. HERM. SCHELII, Transsylvanicae, ét supremi dum viveret Ysselmuidensis Praetoris, ordini equestri, sive Nobilitati Transsylvanorum adscripti, scripta *de Libertate publica*, et *de jure imperii*, cura Theophili Hogersii edita, nec non GERHARDI VAN DER MEULEN *de sanctitate summi imperii civilis*. Conf. *Biblioth. Philos. Struviana Kablii Tom. II. Cap. 2. §. 28. in fine*; imo ipse G. NOODT, si consulamus GRIBNERI *Principia Juris Naturalis*, Lib. II. Cap. VII. §. 2. inter Monarchomachos quoque referendus videtur.

§. V.

Quum vero hacce inquinentur macula plurimi Belgii nostri incolae, operae pretium erit, rem paulo altius inquirere, doctrinamque illorum, scriptis hoc qui professi fuissent, examinare.

Bilanz Politica, nostratum sermone *Considerationen van Staat of Politijke Weegschaal* ab Ill. N. H. GUNDLINGIO, *Discours über das Natur- und Völkerverrecht* pag. 416. in Not. et ex eo a CL. GUNNERO, in dem *Vollständige Erläuterungen über das Natur- und Völkerverrecht des Herrn Hofrath Darjes siebentes stük V. abschnitt 3. Hauptst. §. 766.* Monarchomachorum libros inter refertur, sola *Pufendorffii* auctoritate nitentibus, illam omnium hujus generis librorum perniciosissimum judicantis, quamque ab Illustri ac Amplif. JOH. DE WITT, Hollandiae ac Westfaliae Pensionario conscriptam fuisse, testatur GUNNERUS *l. all.*; at, quod pace tantorum virorum dixerim, valde a vero recedunt.

Minime, itaque cum Cl. GUNNERO *l. all.* hoc opusculum Ampl. J. DE WITT, verum potius LA COUR, cum quo litterae V. H. id est VAN HOVE conspirant, est tribuendum, et mecum consentientem habeo Cl. KAHLIUM, in *Bibl. Philos. Struv. l. c. §. 23. ad lit. d. de quo*

quo LEIBNITZIUS in *Miscell. apud J. F. Fellerum sive in Oïso Hannoverano* part. II. pag. 143. N. VI. ita inquit: *Qui de eo, quod Principum et Rerumpublicarum privatim interest, solide et acute nosiro tempore scripserit, mihi compertus non est, si demas LA COURII Consideration van Staat.* Quaeque opinio etiam confirmatur in FAVORITI NORICI *Observo. ad Nic. Hieron. Gundlingii discursus de republica Hollandica* pag. 108. et in *Append. pag. 10.*

Valde quoque errant laudati scriptores, huncce librum Monarchomachismo favere, et parum abest, quin dixerim nunquam ab illis lectum fuisse, cum et huic doctrinae opposita inveniantur: ait enim pag. 437. *dat men ligtelyk uit de Historien kan leeren, dat een ieder, die door Conspiratiën en oproer, verandering in een gestabilieerde Regering wil brengen, daar by een onderdaan is, seer dwaaslyk doet, ende dat alle de oproermaakers gemeenlyk sneuvelende, zonder baar voorgenomen werk uitte-regten, een schandelyk einde bekomen.*

§. VI.

Progredior nunc ad Nobiliss. R. H. SCHELII scripta, haecque Monarchomachorum ad castra esse reducenda, omnium adhuc constans licet sit opinio, tamen quantum mihi videtur, non procedit, adeoque ei falsè illa affricatur opinio; praecipue etenim ex libro *de Jure imperii* id colligi nequit: disertis enim verbis dicit pag. 147, *regi non licere resistere nisi in iis, qui contra Dei ac hominum jura, regni item leges et conditiones admittuntur ac saluti publicae adversantur*, verum ne ipsi regeratur, hoc difficile esse judicatu, paulo inferius dicit: *manifesta autem sint, et clara scelera haec oportet: nam de illis, quae disceptatione egent et obscura sunt, summum habet rex judicium* et seqq: haec multaque alia, ob prolixitatem quae praetereo, loca satis demonstrant, doctrinam Nob. SCHELII ab Monarchomachorum sententia plane esse diversam.

§. VII.

Caeterum observandum, plurimos hujus materiae libros in medio seculi praecedentis, valde quando erat turbata Belgii nostri regiminis forma, in lucem prodiisse.

Scriptorum ergo illorum statum popularem, seu potius mixtam regiminis formam valde amantium, unius ut redderent odiosum imperium, scopus fuit praecipuus; hinc factum est, ut mirum in modum libertatem, ac formae regiminis Aristocratico-Democraticae commo- dum extollentes, et omnia unius imperii vicia enumerantes, statum illum Monarchicum nimis floccifecerint; ast minime tamen inter Monarchomachos sunt referendi: aliud enim est regi impune resistere licere, affirmare, aliud vero Monarchicam formam optimam esse, negare: quae duo bene cum sint distinguenda, caute in iis est procedendum, et haec ad illos ab hac macula purgandos sufficientia autumo. Denique quanquam in re illa contra VAN DER MEULEN ac G. NOODT accusatio sit fundata, fateor me invenire non potuisse.

* * *

Inter Monarchomachorum castra sequentes ab Illust. G. E. FRITSCHIO, in *Jure Publ. Univerf.* §. 96. plurimos Grotii commentatores, OSIANDRUM, FELDENUM aliosque *ad b. l.* secuto, refertur quoque incomparabile Belgarum decus Ill. GROTIUS, putante, tacite illum distinctionem inter majestatem realem et personalem adsumsisse, quoniam *Lib. 1. C. 3. §. 7.* aurei sui operis *J. B. ac Pacis* subjectum summae potestatis duplex voluit, commune et proprium; illud esse civitatem, hoc personam unam pluresve statuens; quod quoque censet ZIEGLERUS *de Jur. Maj. L. 1. C. 1. §. 44.* Verum contrarium ex §. 8. et ex Cap. 4. cit. operis evidenter patet: et quod ad illam distinctionem adinet, nihil aliud GROTIUS per eam intelligi voluit, quam quod imperium sit originarie penes populum, et sic toti civitati commune, per translationem autem fieri uni vel pluribus proprium, seu uti OBRECHT *in Obs. ad Grotium b. l.* vult. subjectum commune esse essentiale, proprium vero accidentale.

§. VIII.

Caeterum J. BOUCHERIUM, G. ROSSAEUM, J. MARIA.

RIANAM, caeterosque societatis Jesu non memorabo. Consulendi hac de re JORDANUS *recueil de Litterature* pag. 65. 89. &c. ac BAYLE *Dict. Hist. Crit. voc. Mariana*.

Taceo quoque DANAEUM, HOENONIUM, ac civitatis Emdensis Syndicum J. ALTHUSIUM, multosque alios, quos ut enumerem, instituti ratio vetat, et face foret opus ac viatico, ut cum *Plauto* loquar. Conf. *Observ. Hallenses Tom. 6. Obs. 1.* ac BRUCKERI *Hist. Critica Philos. Tom. V. period. III. Part. II. Cap. V. §§. 11. 12. et 13.*

SECTIONIS SECUNDAE

CAPUT SECUNDUM

De Monarchomachorum doctrina, illiusque refutatione.

§. I.

Sectae illius absoluta Historia, ad dogmata ut progrediamur oportet, ac bene est observandum, quod, uti Machiavellistae plus justo principi adtribuunt, sic Monarchomachi plus justo illi detrahunt, ac populo adscribunt; cui et jus competere adferunt, non solum in summi imperantis actiones inquirendi, verum et peccantes de throno dejiciendi, imo et e vita tollendi: quamque doctrinam nonnullis positionibus, circa quas tanquam axin totum dogma rotat, probare volunt.

§. II.

Primo itaque statuunt, summum imperium semper esse penes populum; GRONOVIIUS quidem in dubium vocavit, hocce an quis unquam dixerit, in *notis ad Grotium Cap. 3. §. 8. n. 68.* aliumque format controversiae statum: verum Monarchomachos

si consulamus scriptores, nullum superest dubium, quin supra memoratam foverint opinionem. Inter alios *Alibufum* proferam, qui in *Politica sua Cap. 9. §§. 22. 29.* et aliis in locis evidenter ostendit, nunquam apud reges esse posse summam potestatem, quoniam superiorem agnoscunt, illosque esse tantummodo tanquam administratores pupilli, bona solummodo qui administrant.

Verum semper esse penes populum summam potestatem, falsissimum est: probavimus etenim supra (§. 6. Cap. Prooem.) summum imperium quidem esse originarie penes populum, at ab illo in unam personam pluresve pacto transferri. Jam nunc sua, quibus gavisi erant jura, cum transtulerint universi, manifestum est, illa retineri non posse, nam eadem transferre ac retinere meram implicat contradictionem.

Quam ob causam duas fingunt majestates, unam *personalem*, alteram *realem*, primam a populo in principem quidem esse translata, ea tamen lege, ut, si princeps personali sua abutatur potestate, populus vi potestatis suae realis a principe administrationis rationes exigere, eumque coercere possit. Majestatis ad definitionem si adtendamus, cum alii uti GROTIUS *de J. B. ac P. Lib. 1. C. 3. §. 21. N. 1. et 2.* ac WOLFFIUS *J. N. ac G. Part. 8. §. 206.* per illam ejus, penes quem summum est imperium, dignitatem; alii vero ut ZIEGLERUS *de Jur. Maj. Lib. 1. C. 1. §. 9.* ac THOMASIIUS *In Jur. Div. Lib. 3. C. 6.* ipsam supremam potestatem regendi civitatem intellexerint, absurda videtur aequae ac obscura haec distinctio realem inter ac personalem Majestatem: *absurda*, quum si primam, tantummodo dignitatem esse intelligimus, quae semper personale quid involvit, nunquam vero reale quid; dignitas enim personae, nunquam rei, tribuitur; et si postremam adhibeamus definitionem, contradictionem adesse vidimus, duae tunc in civitate essent summae potestates, jam vero illae duae potestates aut sunt aequales, aut inaequales; si prius, nemo alteri esset subiectus, et sic, cum principi personalem, populoque realem adtribuamus potestatem, duo essent imperantes, nulli vero parentes. Consentit mecum Ill. FRITSCHKUS. *l. all. §. 98.*

Confusa, quum judicatu valde sit difficile, quid per realem ac personalem majestatem sibi volunt. Ille enim, cui personalis competat majestas, seu summus imperans aut gaudet absoluto aut limitato

tato imperio, si primum, quam in re tunc consistit realis majestas? si postremum, tunc legibus fundamentalibus imperii exercitium est restrictum; cum nunc realis illa majestas legibus in fit fundamentalibus, tunc mutata reipublicae regiminis forma, tota corrumpitur majestas realis, quam tamen perennem esse volunt. Conf. BOECLER. *Obs. ad Grotium J. B. ac P. pag. m. 225 et seqq.*

§. III.

Secundo statuunt, jus imperii populi subesse judicio, adeo ut male imperans ad rationes administrationis vocari ac coerceri possit; quod mihi videtur negandum.

Probe tamen attendendum, me non loqui de Principe, limitato qui gaudet imperio, neque de tali imperante juri Divino ac Naturali contraria qui jussit, eo casu utique cuilibet subditorum competit judicium, Deo magis quoniam sit obediendum, quam Principi.

Ast solummodo quaeritur, num populus, qui jus recta determinandi media, ad civitatis finem tendentia, seu ipsum imperium publicum, in personam transfudit, adhuc gaudeat principum actibus resistendi facultate, media forsitan si determinaverit perversa ad finem obtinendum, eumque ideo coercere possit, atque punire; adfirmat hoc S. J. BRUTUS *in vindictis contra tyrannos Quaest. III. p. 126. 154. &c.* cum docet, populum inter ac Principem mutuam esse obligationem, hoc, se justum futurum principem, illo, talis si fuerit, se obsequaturum promittente: porro populum principi sub conditione, principem vero populo pure esse obligatum, animadvertit: denique populum, si conditionem non adimpleat princeps, esse solutum, ac eo casu perfidum coercere posse ac punire principem, judicat.

Ast omnino haec mihi neganda videtur doctrina: populus enim, imperium uni pluribusve cum transfulerit, ea conditione jus coercendi sibi ut reservaret, imperium transfuisse non est censendus, imperium tum detulisset summum, sibi que imperii summitatem reservasset, quod contradictionem implicaret.

Accedit, quod summa inde sit oritura confusio; tali enim casu summus imperans juxta populi magis, quam secundum suam administrare teneretur voluntatem imperium, adeoque revera populus esset superior.

§. IV.

§. IV

Tertium, et quidem fortissimum illud videtur argumentum, quo, imperantes esse propter populum, minime vero populum propter imperantes, statuunt, sive ut HESIODUS *Theogon. V. 88. &c.* aiunt ac CICERO *de off. Lib. II. c. 12. finiendae justitiae causa reges fuisse constitutos*: et huic sententiae calculum quoque adjecit GRONOVIVS *in not. ad Grotium de J. B. ac P. Lib. C. III. §. 8. n. 98.* Unde concludunt, quod, si princeps omnia in suam vertat utilitatem, coerceri a populo possit.

Porro cum ex pacto generali fiat, ut recta ad communem populi promovendam salutem media instituere teneatur civitatis rector, perversa proin si elegerit media, populo ex hoc pacto competere jus, principem coercendi, seu eum, alia ac meliora ut determinet media, adigendi, censent.

Verum contra hanc objectionem observandum est, quod generale hocce de communi promovenda salute pactum, neutiquam populo perfectum tribuat jus, principum actibus resistendi, cum potius populus principis commiserit prudentiae, qualia media ad commune promovendum bonum judicaverit optima. Conf. WOLFFIUS *in Jur. Nat. Tom. VIII. §. 126. et seqq.*

Quam ob causam, si postea ex populi judicio perversa forsan ad finem obtinendum elegerit media princeps, perfecta tamen populo principis voluntati obtemperandi, ac ejus judicio standi competit obligatio; quoniam in principem illa determinandi media, optima quae eidem videntur, perfectum contulerunt jus. Id unice tamen tali in casu populo competit meliora consilia principi ut suppeditet, eumque officiosius imploret, meliora ut sequatur. Hoc autem est suadendi non vero cogendi jus: quod in meliorem semper interpretabitur partem bonus princeps. Conf. porro GROTIUS *de Jure B. ac P. Lib. I. C. 3. §. 1. IV. 14.*

§. V.

Quarto volunt, illum qui constituit, constituto esse superiorem; verum hancce regulam non procedere, cuique statim in oculos incurrit,

rit, nam uti dicit SENECA *de benef. Lib. 3. C. 29. Quaedam initium ab aliis trahunt, et tamen initiis suis majora sunt. Nulla non res principia sua magno gradu transit: semina omnium rerum causa sunt, et tamen minimae partes sunt eorum, quae gignunt. Adspice Rhenum, adspice Euphratem, omnes denique inclaros amnes, quid sunt, si illos illic, unde effluunt, aestimes? Quicquid est, quo timentur, quo nominantur, in processu paraverunt. Tolle radicem, nemora non surgent, nec tanti montes vestientur. Adspice trabes, sive proceritatem aestimes, altissimas, sive crassitudines, spatiumque ramorum, latissime fusas; quantum est bis comparatum illud, quod radix tenui fibra completitur? adeoque recte animadvertit H. GROTIUS *l. all. N. 13.* hoc tantum procedere, si effectus perpetuo a constituentis dependeat voluntate, verum hoc subsistere, si quis potestatem in me transfulerit, falsum ideo adpellat HERTIUS in *diff. an summa rerum sit penes populum sect. 3. §. 3.* quia in constitutionibus, quae pactum vel contractum involvunt, praesertim in pactis inaequalibus, quae jus sive *ἰσότητα* transcribunt, regula haec non procedit. Id enim quod primo est voluntatis postea fit necessitatis, quamobrem memorabile est *Valentiniani*, quod GROTIUS *l. c.* allegat, dictum. *Ut me ad imperandum vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate, o milites! at postquam me elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, mihi, quae facienda sunt, cogitare.* Conf. ZIEGLER *de Jur. Maj. Lib. 1. Cap. 1. §. 33. et 34.**

§. VI.

Quinto, sunt, qui existimant, magistratibus competere jus tuendi jura illorum, quibus sunt praefecti, ac inde inferunt, iis competere jus resistendi iniuriis illius, summum cujus sit imperium: affirmant hanc doctrinam *F. Hotomannus, Brutus, Danaeus*, aliique: negant GROTIUS, de *J. B. ac P. Lib. 1. Cap. IV. §. 6.* aliique. Conf. *Cel. JÄGER* in *Observ. ad illum GROTHII locum Obs. I.*

Sed cum sint magistratus, tam ab eo, summo qui gaudet imperio, quam per leges constituti fundamentales, quibus-

F

que

que ideo competeret potestas tuendi jus, optimatibus ac populo reservatum, in illa quaestione est observandum, utrum magistratus acquisiverint jus a summo imperante, adeoque illius voluntati obnoxium, an vero per ipsas leges fundamentales sint constituti, adeo ut ab imperantis voluntate minime dependant: in priori casu neganda videretur quaestio, in posteriori vero casu ipsi audiunt summi imperantes, cum certa jura, certive actus, ad civile spectantes imperium, tum populo sunt reservati, aut ad certorum quorundam consensum restricti. Conf. WOLFFIUS in *J. N. ac G. part. VIII. §. 1053.*

Et haec omnino in Belgii nostri sunt attendenda Republica, saepius ubi vidimus, quendam in una alterave provincia magistratum ipsis provinciae ordinibus resistendi jus sibi tribuisse, hi quando in leges reipublicae fundamentales peccare videntur, in casibus ubi limitatum tantum adest imperium, et ubi quaedam populo reservata sunt jura. At cum haec potius ad jus publicum Belgium particulare spectent, sicco pede transeo.

§. VII.

Sexto, omne absolutum imperium tyrannidem esse clament, verum ludunt in voce *absoluti*, per illud arbitriam potestatem, nullis legibus, tam naturalibus, quam divinis restrictam, intelligentes; ait enim J. ALTHUSIUS *l. cit. Cap. 19. §§. 10. et 11. qui plenitudine potestatis utitur, repagula, quibus est obferata humana societas, perfringit. Deinde per absolutam potestatem tolli justitiam, tertio non respici utilitatem subditorum sed privatam voluntatem; et denique iniquam esse ac prohibitam, autumat.*

At absolutus qui gaudet imperio, nullis quidem legibus fundamentalibus adstrictam habet potestatem, attamen ex quasi-pacto ad publicam promovendam salutem imperium exercere obligatus est; sic quidem in imperio exercendo mediis, quatenam vult, uti potest, non tamen civitatis fini contrariis, uti supra pluribus demonstratum dedimus. Jam vero tyrannus audiat, uti vox illa nunc sonat, licet olim legitimis, justisque principibus illud nomen fuerit tributum:

Pars

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

dicit VIRGILIUS *Aeneid.* 7. 268.)

imperio ac juribus sibi delatis qui abutitur, finique civitatis e diametro oppositis, regnandi mediis utitur, omniaque in suam qui convertit utilitatem; adeoque tyrannis est, ut cum summo H. GRO-TIO loquar de *J. B. ac P. Lib. I. C. III. §. 8. N. 14.* quae injustitiam includit.

Toto itaque coelo differunt Monarcha absolutus, ac tyrannus; cum is finem civitatis consequendi gratia recta determinet media, hic vero reipublicae statum conturbet, quod bene intellexisse videtur ARISTOTELES *Polit. Lib. III. Cap. 14. in fine, C. 16. in initio et Cap. 17.* venuste ideo cecinit CLAUDIANUS *de laud: Stilicon. Lib. III. vs. 113. et seqq.*

*Fallitur egregio quisquis sub Principe credit
Servitium, nunquam libertas gratior extat,
Quam sub rege pio. — — — — —*

Hujus tyrannidis valgo tres referuntur species, *Pisistratismus*, *Neronismus* ac *Pbalarismus*. *Prima* a *Pisistrato*, Atheniensium illo tyranno, nomen accepit, qui homo privatus injuste summum Athenarum invasit imperium, atque vi detinuit. Hoc tamen injuste acquisitum imperium admodum laudabiliter administravit, artesque liberales fovit, et publicam Athenis Bibliothecam instituit; ad quam non male forsan referri potest *Augusti* Romani imperatoris imperium, nullo licet titulo, Romano occupato imperio, laudabiliter tamen exercuit optimus ille *Octavius Caesar Augustus*.

Alter tyrannidis species *Neronismi* nomine venit, quando scilicet summus imperans populi consensu ac legitimo modo imperium obtinuit, ejus tamen exercitio immaniter abutitur, uti fecit Romanorum Imperator, ingens illud humani generis monstrum, *Domitius Claudius Nero*.

Tertia denique species *Pbalarismus* audit, a crudelissimo illo homine *Pbalare* dictus, qui Agrigenti in Sicilia callide ac injuste im-

imperium invasit ac adripuit, et adreptum injuste ac crudeliter summam immanitate exercuit. Cujus mentionem quoque fecit CICERO *ad Atticum Lib. 7. Epist. 12.*

§. VIII.

Recensitis sic Machiavellistarum ac Monarchomachorum doctrinis, illorumque profligatis erroribus, ex duabus hisce inter se collatis sectionibus, quam luculentissime patet, mediam hac in re calcare viam tutissimum esse ac optimum, quodque ipso Salvatoris nostri dicto confirmatur, inquit enim *Luc. 20. 25. reddite Caesari, quae Caesaris, et Deo, quae Dei sunt:* in quod utrumque utriusque tam Machiavellistae incurunt, quam Monarchomachi:

Illi enim principes tyrannos faciunt ac exleges, omniaque in propriam utilitatem verum posse, docent; tolluntque omnem obligationem erga subditos, civitatem, immo erga Deum; tollunt omnia jura connata, libertatemque hominis naturalem, jura absoluta, jura essentialia, immutabilia, immo ipsam religionem, privata si suadeat utilitas: denique ex principe infallibilem Papam constituunt, adeoque non tribuunt *Deo*, quae *Dei* sunt.

Hi vero Principi competentia sibi que delata jura recusant, populumque rebellem, tumultuosum, immo et regicidam faciunt, omneque regimen imperantibus periculosum, ac reipublicae statum in ludibrium vertunt, non ergo tribuunt *Caesari*, quae sunt *Caesaris*.

§. IX.

His sic inter se comparatis sectis, luce meridiana clarius patent perniciosa illarum doctrinarum consectaria, cum, verbis ut utar C. THOMASII *Observ. Hall. Tom. VI. Obs. I. §. 10. I. Machiavellismus aperiat fenestram Atheismo; Monarchomachia Polytheismo, seu multitudini et confusoni religionum. II. Machiavellismus reges faciat tyrannos; Monarchomachia populum regicidam. III. Machiavellistae supparasitentur regibus; Monarchomachi populo. IV. Machiavellistae tollant reipublicae moralem divisionem in rectam, ac aberrantem; Monarchomachi numericam in*
Mo-

Monarchiam, Aristocratiam, ac Democratiam. V. Machiavellismus e subditis; Monarchomachia e regibus faciat mancipia. VI. Machiavellismus civibus servitutem parat; Monarchomachia omnium rerum licentiam introducat. Venenum Machiavellistarum crassius; Monarchomachorum subtilius.

Facile nunc, de duobus Politicorum erroribus haec cum dictis sufficiant, huic dissertationi colophonem imponere possem: ob materiae tamen connexionem pauca de HIERARCHISMO addam.

SECTIONIS TERTIAE

CAPUT UNICUM

De Hierarchismo.

§ I.

Summam potestatem ac reipublicae formam, ideoque et imperium si tribuamus Ecclesiae humanum, HIERARCHISMUS audit: quorum fundamenta a priscis usque petenda sunt temporibus. Conf. THOMASIVS *Historia Contentionis imp. inter et sacerdot.*

§ II.

Sacer enim Virorum *ἑσθητων* chorus simul ac e vita sublatus fuit, sensim sensimque sacro Ecclesiae imperio strata fuit via: Episcopi etenim ac Presbyteri mox separatim ab auditoribus constituerunt ordinem; sibi Clericorum nomina adfectantes, Laicosque auditores salutantes.

Sacerdotium cogendi cum potestate conjunctum sibi adjudicabant, negotiorumque Ecclesiasticorum judicium, ac jurisdictionem ad se trahebant, quae postea potestas, vel quod principes cum *Constantino Magno* Episcoporum se adscribebant ordini, vel circa sacra neglexerunt jura, adeo excrevit, in legislativam ut abierit potestatem. Invalebat audientia episcopalis, personarum accede-

bat, atque bonorum Ecclesiasticorum civili ab jurisdictione exemptio, donec tandem sua ad judiciorum civilium normam exstruerent tribunalia, ipsosque sibi subjicerent Principes. Conf. ZIEGLERUS *de Episcopatu Lib. III. Cap. 30. 10.* Et sic constituta regiminis forma, constitutoque imperio, rempublicam constituerunt in republica. Conf. PUFENDORFF. *de habitu relig. ad Christ.* THOMASIIUS *l. cit.* et J. G. PERTSCHII *Juris Eccles. Hist.* aliique multi, qui hanc Ecclesiae Christianae scenam ab antiquis jam temporibus per plurima repraesentarunt secula.

§. III.

Amplissimus mihi nunc aperietur campus, ansam huic quae dederunt potestati, causas explorandi, principisque circa sacra jura explanandi, ac denique per varios fluentes effectus pervagandi: verum scopus hac occasione praecipuus cum sit, huncce Hierarchismum Politicorum inter errores esse referendum, jurisque Publici universalis principiis ex assè adversari, tantummodo ut ostenderem, supra memorata ex jam allegatis, et aliis juris Ecclesiastici scriptoribus quoniam hauriri possunt, scriptorio non tangam calamo.

Proponenda itaque primo illorum, Ecclesiae talem adscribentium potestatem, doctrinam, et dein, hanc juris Publici universalis principiis adversari, est ostendendum.

Ad primum quod adtinet, inter illos omnes *Pontificiorum* castra sequentes, nec non quidam *Reformatae* veniunt *religioni* addicti: primoque ergo de illis, dein de his verba faciam.

§. IV

Pontificii tanquam Rempublicam, Monarchica vel pura, vel Aristocratia temperata, uti putant ANT. DE DOMINIS *de republ. eccles.* PETRUS DE MARCA *de concord. sacerdot. et imp.* ceterisque Ecclesiae Gallicanae libertatis patroni, formam gaudentem ecclesiam considerant: illisque ideo ecclesia est respublica a civili republica distincta, ubi regnat Pontifex in rebus, fidem et salutem concernentibus aeternam, in partem sollicitudinis reliquos Episcopos et

et Praelatos vocans, quorum imperium eatenus est subordinatum; Laicis vero sola obsequii relinquatur gloria, sicque Ecclesiae promovetur salus. Conf. *Cap. 6. X. de major. et obed.*

Qua ex descriptione patet esse rempublicam liberam, plane ac independentem, adeoque et imperium requirere: quare cum Ecclesia una sit ac catholica, unum tantummodo caput et quidem universale quoque esse debet, cui particulares ecclesiae ita sunt conglutinatae, ut universalem efficiant rempublicam, et cui subordinati sunt Pastores, Episcopi ac Praelati, qui tanquam Magistratus ecclesiastici, seu particularium ecclesiarum principes considerantur, subditorumque loco Clericos esse ac Laicos, etiam Principes ac reges, qui tanquam subditi ac oves actiones suas et mentis conceptus ad normam Imperantis ac pastoris componere debent.

Cum itaque Christus summum sit Ecclesiae caput, legum nomine, veniunt omnia in Veteri quae occurrunt ac Novo Testamento, et cum illam potestatem Petro crediderit, summis hinc Pontificibus, Petri successoribus, imperium est demandatum tanquam Christi vicariis. Vide PETRUM DE MARCA *Lib. V. Cap. XXVII. §. 3. add. Lib. I. C. II. §. 4.* Qui adeo totum terrarum per orbem sceptrum ambiunt, et tanquam infallibiles iudices omnibus de negotiis iudicium ferunt, unde consequens est impietatem, haeresin ac schisma esse vera crimina, et quidem laesae, ac Majestatis divinae delicta a Dei vicariatu semper punienda, adeoque in illis nequaquam jus aggratiandi locum habere posse.

Sic itaque huic Pontificiorum systemati ea debetur laus, mirifice omnia quod cohaereant, et, stante hypothese de vicariatu Dei per Clericos representato, omnia sua sponte ac necessario fluant confectaria.

§. V.

Magis vero peccant illi, *Reformatae licet religioni addicti*, qui re-
jecta hac hypothese, eadem tamen retinuerunt confectaria, inter quos
etiam, ne alios memorem, nominandus est summus G. VOETHIUS,
qui quatuor *Politicae Ecclesiasticae* libros, ut titulus fert, *adornavit*,
atque per totum opus Ecclesiam statui convenire *Robisco* conten-
dens.

dens, tomo praesertim primo de ecclesiae Aristocratico-Democratica regiminis forma tribuenda valde est sollicitus.

Quamobrem etiam inter internam ac externam seu inter spiritualem distinguitur ac temporalem potestatem: Clericos inter ac Laicos differentia ponitur, illisque gubernandi ac cogendi adtribuitur facultas. Conf. PERTSCH *Elem. J. Can. et Prot. Eccles.* §. 7. in nota.

§. VI.

Quae cum sint falsissima, operae praetium erit genuinum ut formemus Ecclesiae statum, verum primo quid per Ecclesiam sit intelligendum videbimus. Fuitque illa vox origine Graeca, ἀπο τῆ ἐκκλησίᾳ dicta, conventibus populorum vel congregationibus apud Graecos adtributa, uti pluribus ostendit Ill. J. A. BOEHMER in *jure parochiali sect. I. C. II. §. 2.*

Estque illa vel invisibilis vel visibilis, illam constituunt illi, per fidem ac spiritum in Christo Jesu redemptore nostro qui sunt uniti: quae spiritualis est, universalis ac unica, et ab omni profanorum ac hypocritarum faece libera, qua significatione excellentiori saepius in S. Litteris occurrit, verum de illa non loquimur: haec vero multitudo hominum sacra ad faciendam congregata audit, et eo sensu per societatem aequalem ad Deum, secundum doctrinam a Christo revelatam, colendam institutam, definitur.

Societatem illam dixi *aequalem*, omnis imperii quia est expers; aeternam enim procurare mortalium salutem Ecclesiae finis est, jam vero illa per coactiva minime obtineri potest remedia: potissimum enim in interna emendatione ac propriae voluntatis, cum voluntate divina unione consistit felicitas nostra: quae omnia coactiva respuunt remedia. Vid. J. G. PERTSCH. *Elem. J. Can. ac Prot. Eccles.* §. 15.

Accedit porro, quod testante Theologo Summo Cl. VITRINGA *de Synag. Vet. Lib. I. P. I. C. 1.* multitudinem denotat dispersam, quam ob causam imperii notio Ecclesiae non tribuenda videtur.

Quod etiam probat Divinus noster Salvator, qui non in mundum venit, Ecclesiasticam ut adornaret Rempublicam, verum homines ut salvaret, et qui tanquam Ecclesiae caput non imperando, sed docendo suis praeivit discipulis: eosque, de imperio inter se di-

mi-

micantes, saepe reprehendit, *Matth. XVIII. vs. 1. Marc. IX. vs. 34. Luc. IX. 46.* regnum suum non esse de hoc mundo adferens. *Job. XVIII. 36.*

Et hoc Apostolorum postea praxi fuit confirmatum, cum ad negotia ecclesiastica, tunc temporis expedienda, omnes concurrisset multitudinem legimus, tam ad eligendum Apostolum *Act. I. 15--26.* quam ad Diaconum *Act. VI. 1--6.* Quod et corroboratum fuit primitivae Ecclesiae factis. Vid. III. J. H. BOEHMERI *Jus Eccles. Prot. Lib. I. Tit. XXXIII. §. 13.*

§. VII.

Abunde sic liquet, ecclesiam societatem esse aequalem; unde consequens est, illam nunquam statum constituere posse Politicum, quoniam imperium tum involveret, ac societas esset inaequalis: insipida itaque eam ob causam est quaestio illa, utrum Monarchica, Aristocratica, Democratica; an vero Mixta Reipublicae forma Ecclesiae competat, cum sic in statum degeneraret Civilem, ac imperium involveret. Conf. III. PUFENDORFF *de habitu Relig. Christ. ad statum civilem* §. 32. ac J. P. KRESSIUS *in Comm. ad illum locum.*

Quae denique ex ipsa rei natura adeo clara ac manifesta sunt, ut omni fere careant dubio. Videamus nunc porro, Juris Publici Universalis principiis quonam modo adversatur contraria sententia.

Haec enim si procederet opinio, societatem inaequalem, adeoque et imperium constitueret Ecclesia, cum omnes societates inaequales involvant imperium; jam vero constituto imperio, status Civilis naturam indueret Ecclesia: quod imperium, nullis quum niteretur fundamentalibus Reipublicae legibus, respectu juris quorumlibet externi acquisiti, nihil aliud, quam *Monarchobambismum*, intus autem juris, quoad naturalem in Religione sentiendi libertatem, singulis conhati, nil nisi *Machiavellismum* spiraret, utrumque Civitatis fini contrarium: unde seditionibus, perniciosisque moribus, ac tumultibus infausta praeberetur ansa: exigit enim civitatis finis, ut publica promoveatur salus, et hunc ad finem obtinendum, in unam personam moralem, media eo tenden-

tiā adhibendī facultatem transtulit populus, quae irrita foret, tribunal si erigeretur Ecclesiasticum, neque potestati civili, neque populi arbitrio subiectum: ponamus enim duos imperantes in forma regiminis simplici, quorum unus Civitati, alter Ecclesiae praeset, tunc prior in rebus Ecclesiasticis posteriori, posterior in Civilibus priori esset subiectus; quod absurdissimum, ac ad movendas seditiones esset aptissimum. Praesertim cum res Ecclesiasticae a Civilibus, nisi terminis iudamus, a se invicem non ita secerni possint, quin ex mixtura iurium Ecclesiasticorum cum Civilibus maxima saepe oriretur rerum confusio; omne enim contra refractarios juris externi exercitiū imperium post se trahit humanum, quod tamen Ecclesiae, nisi eam Reipublicae instar nobis repraesentemus, minime est adscribendum. Civitatis igitur est, in casu controversiae, quoad juris externi exercitiū, iudicare; quam ob rem Ecclesia externa, si ejusdem juris externi spectemus exercitiū sine Civitate concipi nequit, adeoque Civitati qui praeset, Ecclesiae quoque praesesse censendus est.

§. VIII.

Quam ad tollendam difficultatem, *internam* inter ac *externam* potestatem invenerunt distinctionem, illam Ecclesiae, hanc Civitati tribuendas: cui quoque favet opinioni Ampl. HUBER de Jure Civitat. Sect. V. Cap. II. §. 2. quando docet, principi, cum omnis rerum hominumque potestas ipsi sit demandata, competere quidem externam potestatem, atque, cum animi sententiae humano non sint subiectae imperio, principi internam minime tribuendam esse potestatem; quod facile largior: verum, qui fiat, ut haec Ecclesiae posset adscribi potestas, non video, cum jus illud nunquam delatum sit, nec deferri potuerit in Ecclesiam, quod non opus est, ut pluribus ostendam, cum eleganter hoc probatum dederit Cl. GERH. NOODT in Eximia Orat. de religione ab imperio Gentium libera.

§. IX.

Manifestissime itaque ex dictis patet, veram Ecclesiam, cujus caput

caput est Servator noster Christus, esse societatem universalem, Deum inter omnesque fideles homines secundum Naturae Leges sanctam. Hac igitur in societate ipse imperium tenet Divinus Servator, neque in hoc spiritali regno ulla locum habere potest humana potestas.

Omnes in hac Ecclesia Catholica sumus aequales, nec ullus proinde est superior: quod si vero unus virtute alterum antecellit ac doctrina, non ideo tamen in alterius actiones jus acquirit perfectum, sed hujus salva semper ac illibata manet naturalis libertas. Cessant jam post extinctam Apostolicam familiam divina Θεοπρονομίας dona; ideoque nemo sibi in determinandis fidei articulis arrogare debet, ac si falli non possit: omnes quippe erroribus fumus obnoxii, et sic solidioribus veritatum demonstrationibus, non autem humanis auctoritatibus unus alterum convincere tenetur, ita ut cuilibet suum, non alienum sequi iudicium, sit integrum. Unica in hac Ecclesia Catholica est fidei norma, Dei scilicet verbum, omnibus aequo jure revelatum.

§. X.

At longe alia in Ecclesiis Christianorum particularibus est rerum facies; diversas enim postquam contraxerunt religionis societates Christiani, diversas quoque sanxerunt formulas, quas leges tanquam fundamentales singuli societatis Ecclesiasticae contractae observare adiguntur socii.

Introductis itaque in Ecclesias particulares, utpote societates contractas, legibus humanis, fieri aliter non potuit, quin et in iisdem juris externi obtineat exercitium, quod in casu controversiae necessario in humanum abit imperium. Jam vero si tale imperium a civili potestate independens in una Ecclesia particulari statuamus, ob aequalitatem, quae inter omnes intercedit, etiam caeteris Ecclesiis quibusvis particularibus, in eadem Republica constitutis, tribui deberet imperii summitas, et sic tot inde enascerentur independentes societates a subditis contractae, quot dantur Ecclesiae particulares in Republica. Hoc autem modo misere pro subditorum arbitrio dilaceraretur imperii summitas per varias societates Ecclesiasticas in eadem Republica contractas, quae tandem mutuis litibus se invi-

cem, et demum intestinis motibus ipsam contererent Rempublicam. Nihil itaque periculosius est, quam *Hierarchismum* fovere, sive summitatem imperii in rebus, quas dicunt Ecclesiasticis, Clero tribuere, et huic brachio spirituali brachium seculare, uti loqui amant, subordinare, et sic ipsos Principes Ecclesiasticae Jurisdictioni reddere obnoxios, id est, ex Principibus subditos, et ex subditis facere Principes.

§. XI

Nihil proinde superest, quam ut externam in civili societate constitutam Ecclesiam, tanquam societatem ab hominibus et subditis contractam, *collegii* instar respiciamus, cui ex sua confoederata disciplina singulares quidem incumbunt obligationes, ac singularia inde competunt jura, sed tamen quoad juris externi exercitium neutiquam a Republica independenter aequè minus, ac reliqua *collegia*, quae in eadem conspiciuntur Republica. Plura de hoc themate addere vellem, sed forsan nonnullis jam nimis multa dixisse videor.

Obe! jam satis est. Obe libelle!

F. I. N. I. S

THE-

T H E S E S.

I.

Summa Rectorum Civitatis virtus merito habetur φιλαδελφία, sive bonitas sapientis.

II.

Omnes civitates vero et quasi-pacto niti, existimo.

III.

Imperium Civile originarie esse penes populum, autumo.

IV.

Merito Majores nostri Philippum II. Hispaniæ regem ejurarunt.

V.

Perverse itaque Ampl. C. VAN BYNKERSHOEK in Quaest. Jur. Publ. Lib. II. Cap. III. Belgis talem adpersit maculam, ac si rebellionis ret forent.

VI.

Nec Eximii Viri l. all. sententiæ calculum adjicio, qua censuit J. Montigniacum, et J. Marchionem Bergarum ad Zomam, & Margareta Parmensi, et Ordinibus Generalibus, ad regem Philippum in Hispaniam missos, legatorum juribus uti non potuisse.

VII.

Pontificii Ecclesiam sibi repræsentant instar Reipublicæ, & Deo constitutæ, in qua jura imperantium sint penes Clericos, qua-

quasi Dei vicarios, sola autem parendi gloria Laicis relicta: aut Protestantes, si sapiant, Ecclesiam, a viris Θεοπνευστις plantatam, respicere debent originarie tanquam societatem aequalem, ubi omnium eadem sunt jura, eademque omnibus incumbunt obligationes, posthabita distinctione Clericos inter ac Laicos.

VIII.

Inspida est distinctio illa internam inter ac externam potestatem.

IX.

Collegii instar Ecclesiam esse habendam, autumo.

X.

Patria potestas apud Romanos continebat olim jus vitae et necis, quod non solum in liberos, ob delictum suum morte dignos, sed et in innocentes, potuit exerceri.

XI.

Jure novissimo definitae quidem sunt justae exheredationis causae respectu liberorum et parentum, non vero ratione fratrum et sororum.

XII.

Causae vero illae ita sunt accipiendae, ut praeter illas nullas prorsus alterius generis, licet aequae graves vel graviores, admittantur; quamvis causas ejusdem indolis, et sub mente Imperatoris in Nov. 115. comprehensas, minime excludam.